DE PARTICULIS COPULATIVIS

APUD

SCRIPTORES HISTORIAE AUGUSTAE

QUAESTIONES SELECTAE

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM
UPSALIENSIUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

ERIK TIDNER

LIC. PHIL. NAT. HOLM.

IN AUDITORIO X A. D. III NON. MAI. MCMXXII

H. A. M. S.

UPSALIAE

TYPIS DESCRIPSIT EDV. BERLINGS BOKTRYCKERI A.-B.

MCMXXII.

DE PARTICULIS COPULATIVIS

APUD

SCRIPTORES HISTORIAE AUGUSTAE

QUAESTIONES SELECTAE

COMMENTATIO ACADEMICA

SCRIPSIT

ET PERMISSU AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM UPSALIENSIUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

IN PUBLICO DEFENDET

ERIK TIDNER

LIC. PHIL. NAT. HOLM.

IN AUDITORIO X A. D. III NON. MAI. MCMXXII

H. A. M. S.

UPSALIAE

TYPIS DESCRIPSIT EDV. BERLINGS BOKTRYCKERI A.-B.

MCMXXII.

Ex Uppsala Universitets Årsskrift 1922 seorsum expressum.

Hoc specimen editurus omnibus, qui de studiis meis bene meriti sunt, ex animi mei sententia gratias ago. Ac primo quidem loco nominandus est P. Persson, praeceptor egregius, quem et semper eximia erga me beneuolentia fuisse et me in hoc opere conscribendo multis et optimis consiliis adiuuisse grato animo profiteor. Etiam ceteri praeceptores mei, H. Sjögren et G. Thörnell, cum alia benignitate tum diligenti in plagulis corrigendis opera me obstrinxerunt. Ad quem laborem etiam amici A. Petersson, J. Svensson, B. Unger strenue mihi auxilium contulerunt. Denique Bibliothecariis Upsaliensibus, qui mihi semper summo studio profuerunt, maximas habeo gratias.

Scribebam Upsaliae a. d. VII Kal. Mai. MCMXXII.

Summarium.

Praefatio III
Summarium V
Editiones VII
Index librorum VIII
Index uitarum XII

Cap. I. De notionibus abundanter copulatis 1
I. De specie et genere copulatis 1
II. De genere et specie copulatis 7
III. De notionibus idem fere significantibus copulatis 11
VI. De parallellismo orationis similibusque 24

Cap. II. De uocibus dissolute inter se compositis 29
I. De bimembri dissoluto 29
II. De particula copulatiua inter alia membra adhibita, inter alia omissa 52
III. De trimembri dissoluto 56

Cap. III. De sententiis inter se compositis 62
I. De copulatiua particula pro aduersatiua adhibita 62
II. De *et* additamentum subiungente 69
III. De copulatiua particula pro explanatiua adhibita 70
IV. De *et quid* 71

Cap. IV. De sententiis dissolute iunctis 72
I. De sententiis liberis dissolute copulatis 72
II. De sententiis liberis per asyndeton aduersatiuum iunctis 75
III. De sententiis liberis alia ratione dissolute iunctis 77
IV. De sententiis secundariis dissolute copulatis 78

Cap. V. De confusis particulis copulatiuis et disiunctiuis 84

Cap. VI. De *et* aequalitatem uel responsionem quandam sententiarum notante 91
I. De *et* in sententiis correlatiuis adhibito 91
II. De *nam et* 96

Cap. VII. De collocatione particularum 101
I. De collocatione singularum particularum 101
II. De inconcinna collocatione geminarum particularum 109

Cap. VIII. De particulis copulatiuis abundanter usurpatis 117
Cap. IX. De explicatiuo usu particularum copulatiuarum..... 123
Cap. X. De particula copulatiua inter sententias primariam et relatiuam adhibita.. 129
Cap. XI. De diuersis uocibus inter se compositis.................. 135
Index locorum 145
Index rerum et uerborum 147
Corrigenda et addenda 148

Editiones.

SALMASIVS = Historiae Augustae Scriptores VI . . . CLAUDIUS SALMASIVS ex ueteribus libris recensuit et librum adiecit notarum ac emendationum, quibus adiunctae sunt notae ac emendationes Isaaci CASAVBONI iam antea editae. Parisiis 1620.

IORDAN et EYSSENHARDT = Scriptores Historiae Augustae ab Hadriano ad Numerianum. rec. H. IORDAN et F. EYSSENHARDT I—II. Berolini 1864.

PETER = Scriptores Historiae Augustae, iterum recensuit adparatumque criticum addidit HERMANNVS PETER. I—II Lipsiae 1884.

P. Cornelii Taciti libri qui supersunt recognouit C. HALM, editionem quintam curauit G. ANDRESEN. I Lipsiae 1921, II Lipsiae 1914.

C. Suetonii Tranquilli opera, uol. I, De uita Caesarum libri VIII, rec. M. IHM, editio minor, Lipsiae 1908.

XII Panegyrici Latini, rec. GUIL. BAEHRENS, Lipsiae 1911.

(In exemplis proferendis semper paginae et uersus harum editionum indicantur.)

Index librorum.

Ahlquist = H. Ahlquist, Studien zur spätlateinischen Mulomedicina Chironis. Diss. Uppsala (UUÅ 1909).

Arch. = Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik, hrsg. von E. Wölfflin. Leipzig I—XV. 1884—1908.

Baehrens, Aem., Aduersaria critica in scriptores historiae Augustae. Neue Jahrbücher 103 (1871) p. 649—664.

———, Noua Aduersaria critica in scriptores historiae Augustae. Neue Jahrbücher 133 (1886) p. 213—224.

Baehrens, W. A., Ad Panegyricos Latinos aliosque scriptores obseruationes. Mnem. 1910 p. 395—436.

———, Beiträge zur Lateinischen Syntax. Philol. Suppl. XII (1912) p. 235—556.

———, Praef. = Panegyricorum Latinorum editionis nouae praefatio maior. Diss. Groningae 1910.

Ballas = Aem. Ballas, Grammatica Plautina, specimen primum, de particulis copulatiuis. Diss. Gryphiswaldae 1868.

Berl. Phil. Woch. = Berliner Philologischer Wochenschrift.

Bonnet = M. Bonnet, Le latin de Grégoire de Tours. Thèse. Paris 1890.

Casavbonvs u. Salmasivs p. VII.

Closs, Die Kaisergeschichte der sechs Schriftsteller: Aelius Spartianus, Iulius Capitolinus, Aelius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, Flauius Vopiscus, übersetzt . . . von C. August Closs. Stuttgart 1857[1].

Cornelissen, J. J., Ad Scriptores Historiae Augustae. Mnem. 1883 p. 246—259.

Cotta = C. Cotta, Quaestiones grammaticae et criticae de uitis a Scriptoribus Historiae Augustae conscriptis. Diss. Vratislauiae 1883.

C. S. E. L. = Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum editum consilio et impensis Academiae litterarum Caesareae Vindobonensis. Vindobonae.

Damsté, P. H., Ad Scriptores Historiae Augustae. Mnem. 1911, p. 185—194, 225—241, 1912, p. 259—276.

Draeger = A. Draeger, Historische Syntax der Lateinischen Sprache I—II. Leipzig 1878, 1881.

———, Über Syntax und Stil des Tacitus. 2. Aufl. Leipzig 1874.

[1] Hic liber, cum hoc opus iam typis exprimi coeptum erat, in manus meas uenit.

Ellis, R., On the Historia Augusta. Hermath. 31 (1905) p. 399—420.

Frankfvrter, S., Textkritisches zu den Scriptores historiae Augustae. Wiener Stud. 13 (1891) p. 245—254.

Frevnd = J. W. Frevnd, De C. Suetonii Tranquilli usu atque genere dicendi. Diss. Vratislauiae 1901.

Georges = Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch . . . ausgearb. von K. E. Georges. 8. Aufl. I—II. Hannover u. Leipzig 1913, 1918.

Gvdeman = P. Cornelii Taciti Dialogus de oratoribus mit . . . Kommentar . . . von A. Gvdeman, Leipzig u. Berlin 1914.

Hache = F. Hache, Quaestiones archaicae. Diss. Vratislauiae 1907.

Hagendahl = H. Hagendahl, Studia Ammianea. Diss. Upsaliae (UUÅ 1921).

Hellwig = P. Hellwig, Über den Pleonasmus bei Cäsar. Progr. Berlin 1889.

Hermath. = Hermathena, A series of papers on literature, science, and philosophy by members of Trinity College, Dublin.

Kienzle = L. Kienzle, Die Kopulativpartikeln et, que, atque bei Tacitus, Plinius, Seneka. Diss. Tübingen 1906.

Klebs, E., Die Sammlung der Scriptores historiae Augustae. Rhein. Mus. 45 (1890) p. 436—464.

—, Die Scriptores historiae Augustae. Rhein. Mus. 47 (1892) p. 1—52, 514—549.

Koziol = H. Koziol, Der Stil des L. Apuleius. Wien 1872.

Krvmbiegel = R. Krvmbiegel, De Varroniano scribendi genere quaestiones. Diss. Lipsiae 1892.

Kühner et Gerth II: 1, 2 = Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache von R. Kühner. Zweiter Band: Satzlehre. 3. Auflage von B. Gerth 1—2. Hannover und Leipzig 1898, 1904.

Kühner et Stegman I—II = Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache von R. Kühner. Zweiter Band: Satzlehre. Zweite Auflage in zwei Teilen neubearbeitet von C. Stegmann. Hannover 1912—1914.

Lessing, Lex. = Scriptorum historiae Augustae Lexicon, confecit Carolvs Lessing. Lipsiae 1901—1906.

—, Studien zu den Scriptores historiae Augustae. Progr. Berlin 1889.

Linderbaver = S. Benedicti Regula Monachorum hrsg. und philologisch erklärt von B. Linderbaver. Metten 1922.

Löfstedt, Arnob. = E. Löfstedt, Arnobiana. Textkritische und sprachliche Studien zu Arnobius (LUÅ B. 12 Nr 5). Lund 1917.

—, Beitr. = E. Löfstedt, Beiträge zur Kenntnis der späteren Latinität. Diss. Uppsala (UUÅ 1907).

—, Per. Aeth. = E. Löfstedt, Philologischer Kommentar zur Peregrinatio Aetheriae. Untersuchungen zur Geschichte der lateinischen Sprache. Uppsala 1911.

—, Stud. = E. Löfstedt, Spätlateinischen Studien (Skrifter utgifna af K. Humanistiska Vetenskaps-Samfundet i Uppsala XII: 4). Uppsala 1908.

—, Tert. I = Tertullians Apologeticum textkritisch untersucht von E. Löfstedt (LUÅ. B. 11 Nr 6). Lund 1915.

Löfstedt, Tert. II = E. Löfstedt, Kritische Bemerkungen zu Tertullians Apologeticum (LUÅ B. 14 Nr 24). Lund 1918.

———, Tert. III = E. Löfstedt, Zur Sprache Tertullians (LUÅ B. 16 Nr 2). Lund 1920.

LUÅ = Lunds Universitets Årsskrift. N. F. Afd. 1.

Martin = J. Martin, Commodianea. Sitzungsberichte der philosophisch-philologischen Classe der k. Akademie der Wissenschaften, 181. Band, 6. Abh. Wien 1917.

Merten = J. Merten, De particularum copulatiuarum apud ueteres Romanorum scriptores usu. Diss. Marpurgi Cattorum 1893.

M. G. H. = Monumenta Germaniae historica. Auctores antiquissimi. Berolini.

Mnem. = Mnemosyne. Bibliotheca philologica Batava. Lugduni Batauorum.

Nägelsbach = K. F. von Nägelsbachs Lateinische Stilistik. 9. Aufl. von I. Müller. Nürnberg 1905.

Neue Jahrbücher = Jahrbücher für Classische Philologie hrsg. von A. Fleckeisen. Leipzig.

Norden, Min. Fel. = Norden, E., De Minucii Felicis aetate et genere dicendi. Progr. Gryphiswaldae 1897.

Novák = R. Novák, Observationes in scriptores Historiae Augustae. (Ex ephemeridis »České Museum Filologické» tom. II seorsum expressum.) Pragae 1896.

d'Ooge = B. A. d'Ooge, De particularum copulatiuarum apud Caesarem et Pseudo-Caesarianos scriptores usu. Diss. Bonnae 1901.

Pavcker = C. Pavcker, De Latinitate Scriptorum Historiae Augustae. Diss. Dorpati 1870.

Petschenig I. = M. Petschenig, Beiträge zur Textkritik der Scriptores historiae Augustae. Sitzungsberichte der philosophisch-historischen Classe der k. Akademie der Wissenschaften. B. 93, p. 355—418. Wien 1879.

———, III = M. Petschenig, Bemerkungen zum Texte der Scriptores historiae Augustae. Philol. 52 (1894) p. 348—365.

Philol. = Philologus. Zeitschrift für das klassische Altertum. Göttingen, Leipzig.

Prevss = S. Prevss, De bimembris dissoluti apud scriptores Romanos usu sollemni. Edenkoben 1881.

Pvrser, L. C., Notes on Vopiscus. Hermath. 34 (1908) p. 1—55.

Rhein. Mus. = Rheinisches Museum für Philologie. Frankfurt a. M.

Salonivs = A. H. Salonivs, Vitae Patrum. Kritische Untersuchungen über Text, Syntax und Wortschatz der spätlateinichen Vitae patrum (Skrifter utgifna af Humanistiska Vetenskapssamfundet i Lund II). Lund 1920.

Schmalz = J. H. Schmalz, Lateinische Grammatik. Syntax und Stilistik. 4. Aufl. (Handbuch der klassischen Altertums-Wissenschaft . . . hrsg. von Dr. Iwan von Müller II: 2) München 1910.

Sittl = K. Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache mit besonderer Berücksichtigung des afrikanischen Lateins. Erlangen 1882.

Sjögren, Comm. Tull. = H. Sjögren, Commentationes Tullianae. Upsaliae 1910.

Sjögren, De part. cop. = De particulis copulatiuis apud Plautum et Terentium quaestiones selectae. Diss. Upsaliae 1900.

Spitta = Ph. Spitta, De Taciti in componendis enuntiatis ratione. Pars prior. Diss. Gottingae 1866.

Stangl, Th., Lactantiana. Rhein. Mus 70 (1915) p. 224—252, 441—471.

—, Pseudoasc. = Pseudoasconiana. Textgestaltung und Sprache der anonymen Scholien zu Ciceros vier ersten Verrinen . . . untersucht von Dr. Th. Stangl. Paderborn 1909.

—, Tull. = Tulliana. Der Text des Thesaurus linguae Latinae zu Cicero de oratore in ausgewählten Stellen besprochen von Th. Stangl. Progr. München 1897.

Thes. = Thesaurus linguae Latinae editus auctoritate et consilio academiarum quinque Germanicarum Berolinensis Gottingensis Lipsiensis Monacensis Vindobonensis. Lipsiae 1905 —.

Thörnell, Stud. Paneg. = G. Thörnell, Studia Panegyrica. Diss. Upsaliae (UUÅ 1905).

——, Tert. I = G. Thörnell, Studia Tertullianea (UUÅ 1917: 3) Uppsala 1918.

——, Tert. II = G. Thörnell, Studia Tertullianea II (UUÅ 1921: 1) Uppsala 1920.

UUÅ = Uppsala Universitets Årsskrift. Filosofi, språkvetenskap och historiska vetenskaper.

Wiener Stud. = Wiener Studien. Zeitschrift für klassische Philologie. Wien.

Wölfflin, Allitt. Verbind. = E. Wölfflin, Über die allitterierenden Verbindungen der lateinischen Sprache. Sitzungsberichte der philosophisch-philologischen und historischen Classe der k. b. Akademie der Wissenschaften zu München 1881. Band. II, p. 1—94.

——, Cass. Fel. = E. Wölfflin, Über die Latinität des Afrikaners Cassius Felix. Sitzungsberichte der philosophisch-philologischen und historischen Classe der k. b. Akademie der Wissenschaft zu München 1880 p. 381—432.

—, Die S. H. A. = E. Wölfflin, Die Scriptores historiae Augustae I. Sitzungsberichte der philosopisch-philologischen und historischen Classe der k. b. Akademie der Wissenschaften zu München 1891 p. 465—538.

Index uitarum.

In uitis imperatorum designandis his siglis usus sum:

Alb.	Clodius Albinus
Alex.	Alexander Seuerus
Ant. P.	Antoninus Pius
Auid.	Auidius Cassius
Aurel.	Aurelianus
Carac.	Caracallus
Carus	Carus et Carinus et Numerianus
Claud.	Claudius
Comm.	Commodus
Diad.	Diadumenus
Did. Iul.	Didius Iulianus
Gall.	Gallieni II
Get.	Geta
Gord.	Gordiani III
Hadr.	Hadrianus
Heliog.	Heliogabalus
Helius	
Marc. Ant.	Marcus Antoninus (Aurelius)
Max. Balb.	Maximus et Balbinus
Maximim.	Maximini II
Opil.	Opilius Marcrinus
Pert.	Pertinax
Pesc.	Pescennius Niger
Prob.	Probus
Quatt. tyr.	Firmus Saturninus Proculus et Bonosus
Seuer.	Seuerus
Tac.	Tacitus
Trig. Tyr.	Tyranni triginta
Valer.	Valeriani II
Ver.	Verus.

CAP. I.

De notionibus abundanter copulatis.

Persaepe uoces uel notiones ui cognatae inter se componuntur, ita ut abundantia quaedam oriatur, cum idem uel fere idem utroque membro significatur. Eae autem notiones, quae iunguntur, magnitudine aut pari aut diuersa sunt. Si uero altera maior est, id quod fit, cum species et genus componuntur, aut illa huic antecedit, ut designetur rem largioribus finibus circumscribi posse, aut genus ante speciem ponitur, ut appareat hanc tanti momenti esse, ut iteranda sit, quamquam semel iam mentio eius facta est, quoniam genere comprehensa est. Notio igitur specialis ut maiorem uim habet, ita non sola animaduertenda esse indicatur. In his autem exemplis congerendis etiam eos locos in comparationem uocaui, ubi disiunctiua particula membra connectuntur.

I. De specie et genere copulatis.

Primum exempla colligam, in quibus speciem excipit genus[1].

A. Substantiua.

Hadr. 14. 8 *Fuit enim poematum et litterarum nimium studiosissimus.* — Heliog. 21. 5 *oppressit in tricliniis uersatilibus parasitos suos uiolis et floribus.* In hac abundantia offendit Cornelissen, qui, Mnem. 1883 p. 254, *foliis et floribus* proposuit, nescio an allitterationis causa. Wölfflin (Allitt. Verbind., p. 57) similem iuncturam *foliis et flore* indicat Auson. 174. 9, ubi tamen

[1] Cf. Kühner et Stegmann (II p. 24 sq.). Inspicias etiam Mertenivm, p. 9. 38. 50 sq., ubi exempla e libris Ciceronis prolata sunt, et Hellwigium, p. 13 sq., qui usum Caesaris tractauit. Eundem modum loquendi d'Ooge p. 12, 56 in libris, qui sub Caesaris nomine feruntur, illustrauit.

legitur *fruge et flore.* — Heliog. 26. 7 *mittebat parasitis . . . uasa cum ranis et scorpiis et cum serpentibus et huiusmodi monstris.* — Aurel. 1. 2 *ibi cum animus* (praefecti urbis) *a causis atque a negotiis publicis . . . uacaret, . . .* Inuerso ordine haec componuntur Alex. 15. 6 (p. 9), cf. etiam Marc. Ant. 10. 10 (p. 27). — Ver. 7. 5 *uernas in triclinium Saturnalibus et diebus festis semper admisit.*[1] — Tac. 11. 5 *fasianam auem*

[1] Nonnumquam notiones, quae sunt *alius* uel *omnino*, uocibus non exprimi sed e ceteris uerbis audiri notum est. Quod fieri solet, cum hominis uel rei mentione facta uox ponitur, quae maioribus finibus circumscripta priorem quoque notionem complectitur, quae hac ratione uel a notione generali separatur uel hac addita intenditur et augetur.

Saepe e pronominibus *aliquis, quisquam* aliisque simul auditur *alius* uelut loco ab AHLQUISTIO prolato (Mulom. p. 127), Heliog. 16. 1 *Nec distulit caedem consobrini sed timens, ‹ne› se‹na›tus ad aliquem se inclinaret, si ille consobrinum occidisset, iussit subito senatum urbe decedere. (ad aliquam* PB, *ad alium quem* PETER.) Quod a P^3 additum est atque a PETERO receptum, *ne*, abesse posse uidetur. Cf. Alex. 9. 7 (uerba imperatoris) *Neque ego, p. c., idcirco timeo istud uenerabile omnibus nomen accipere, quod uerear, in haec uitia delabatur uita,* [a]*ut nos nominis pudeat.* Particula *ne* omissa non minus perspicua fit sententia. Per *aliquem* quilibet designatur excepto illo, de quo e medio tollendo Heliogabalus agitabat. Aliud e nostris scriptoribus exemplum profert LÖFSTEDT (Beiträge p. 113), Aurel. 42. 4 *Valerianum enim, cum optimus fuerit, ab omnibus* (i. e. principibus ante enumeratis) *infelicitas separauit.* (*a bonis* PETER temere.) — Cf. Plin. Paneg. 62. 6 (58. 16) *Magnus uterque honor uester, siue eosdem maxime diligit, quos scit uobis esse carissimos, siue illis neminem praefert, quamuis aliquem magis amet.* — E Suetonio annotaui uerba Antonii in litteris ad Augustum missis, Aug. 69. 2 *ita ualeas, uti tu . . . non inieris Tertullam aut Terentillam aut Rufillam aut Saluiam Titiseniam aut omnes.*

In locutione quoque usu trita *omnibus relictis rebus* e contextu *ceteris* auditur, itidem *ceteros* his locis: Seuer. 15. 5 *multos etiam, quasi Caldaeos aut uates de sua salute consuluissent, interemit.* — Alex. 34. 6 *aut Vlpianum aut doctos homines adhibebat.* In nonnullis autem exemplis potius mihi *omnino* quam *alius* audiri uidetur, quamquam discrimen subtile est, ut his locis: Plaut. Rud. 199 *is nauem atque omnia perdidit in mari;* Capt. 922 *Ioui deisque ago gratias;* Amph. 1021 *Tibi Iuppiter dique omnes irati certo sunt*; Cic. Tusc. IV. 9 *Chrysippus et Stoici.* Hic enim sermonem abundare puto genere ad speciem addito, ut maior uis efficiatur, sicut contra ad genus species adici solet et ad numerum hominum aliquis insignis ex illis (u. p. 4 sqq.). In alio exemplo a LÖFSTEDTIO assumpto, Pesc. 10. 4 (u. p. 3), utrum *milites et omnes* »die Soldaten und überhaupt alle» sit an »die Soldaten und alle übrigen», sicut eo loco, e quo exorsus sum, utrum uertas »an den Saturnalien und anderen Festtagen» an »an den Saturnalien und überhaupt an Festtagen», non multum interesse non nego.

nisi suo et suorum natali et diebus festissimis non posuit. — Carus 1. 2 *Probo ex sententia senatus ac populi leges et gubernacula temperante (leges et gubernacula senatus ac populo* PB), ubi abstractum uocabulum, *leges*, atque concretum, *gubernacula*, per tropum usurpatum, componuntur[1]. — Hadr. 11. 6 *nam cum ad quendam scripsisset uxor sua, quod uoluptatibus detentus et lauacris ad se redire nollet, atque hoc Hadrianus per frumentarios cognouisset, petente illo commeatum Hadrianus ei lauacra et uoluptates exprobrauit.* E contextu apparet lauacra inter uoluptates fuisse. Similiter comparatum est Alex. 53. 2 *nam cum Antiochiam uenisset ac milites lauacris muliebribus et deliciis (delitiis* PB) *uacarent, . . .* — Tac. 12. 1 *scirent omnes socii omnesque nationes in antiquum statum redisse rem p.* Hoc loco ascensus quidam cernitur. (Cf. Prob. 12. 7 *date hoc senatui populoque Romano, date militibus, date sociis atque exteris nationibus.*) — Gord. 23. 7 *per spadones ac ministros aulicos* (uendi). — Marc. Ant. 12. 7 *cum se Marcus absente Vero erga omnes senatores atque homines moderatissime gessisset.* Hoc tamen loco quaeri potest, num *homines* pro *populo* positum sit. V. Arch. VI p. 366 (cf. p. 9.). — Pesc. 10. 4 *idem pistores sequi expeditionem prohibuit, bucellato iubens milites et omnes contentos esse.* V. p. 2 n. — Auid. 8. 2 (reprehendendus erat,) *quod tam mitis esset in hostem suum eiusque liberos et adfectus.* Possunt tamen per illud substantiuum totidem ac per hoc significari — Gord. 7. 3 *coeperunt cogitare, quemadmodum seditio inter Maximinianos et rusticos uel Afros orta placaretur.* Etiam illi rustici Afri erant.

Duo substantiua eiusdem stirpis componuntur Trig. tyr. 6. 3: *quod matrimoniis militum et militarium corrumpendis operam daret.* (»Soldaten und Militärpersonen.»)

Nonnulla ex his exemplis protulit Persson, praeceptor meus, in seminario philologico, cum moneret in his locutionibus speciem tantum ellipseos, non ueram ellipsim esse. V. praeterea Kühner et Stegmann (I p. 636), Nägelsbach (p. 769), Löfstedt (Per. Aeth. p. 174), Sommer (Indogerm. Forsch. uol. 24 p. 22 sqq.).

[1] Huic locutioni simile est Trig. tyr. 12. 7 (ep.) *illam pestem a legum gubernaculis dimouere*, quo loco Wölfflin (Die S. H. A. p. 510) scriptorem nostrum Ciceronem imitatum esse putat eique obuersatum esse Cic. de domo sua § 24, ubi legitur: *cum senatum a gubernaculis deiecisses.* Hocine autem ab loco ille sumptus sit, mihi ualde dubium uidetur.

Interdum homo uel deus et numerus, in quo habetur, componuntur (cf. p. 2 n.): Alex. 31. 4 *eiusque* (Vergilii) *imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuit, ubi et Achillis et magnorum uirorum.* — Max. Balb. 17. 2 (ep.) *Cum primum Iouis Op. M. et deorum inmortalium senatusque iudicio . . . suscepisse uos rem p. . . . conperissem, . . .* Cf. Alex. 17. 4 *exclamauit: "O Marna, o Iuppiter, ⟨o⟩*[1] *di inmortales . . .".* (Cf. p. 9.)

Comm. 8. 9 (senatus) *se ipsum Commodianum uocauit, Commodum Herculem et deum appellans.* Notio *Herculis* notione *dei* continetur. Simile est hoc, Alex. 65. 1 *Soles quaerere . . ., quid sit quod hominem Syrum et alienigenam talem principem fecerit.*

Eodem modo saepe nomina et gentium et terrarum componuntur: Gall. 13. 5 *Zenobia Palmyrenis et orientalibus plerisque uiriliter imperante.* — Trig. tyr. 15. 3 *Nisibin primum et orientis pleraque cum omni Mesopotamia in potestatem recepit,* ubi animaduertas, quaeso, membra per hyperbaton figuram collocata. — Ver. 8. 2 *et nata fertur pestilentia in Babylonia . . . atque inde Parthos orbemque complesse.* Habet P *urbemque*, quod contextui minime congruit. — Hadr. 7. 6 *in urbe atque Italia, in prouinciis uero . . .* — Gord. 26. 1 *ob quae sacrificia per totam urbem totumque orbem terrarum ingentia celebrata sunt.* Cf. Tac. 19. 5 (ep.) *floret Roma, floret tota res p.* — Trig. tyr. 8. 11 *omnis Alamannia omnisque Germania.* (Cf. p. 9.). — Trig. tyr. 22. 6 *Thebaidem totamque Aegyptum peragrauit.* — Aurel. 32. 2 *interim res per Thracias Europamque omnem Aureliano ingentes agente.* Europam unam esse e magnis illis tribus orbis terrarum partibus uel certe plus terrarum quam prouinciam complecti patet cum ex adiectiuo *omnis* tum ex 30. 4 et 32. 1[2]. Alia

[1] Nescio an tertium *o*, quod a PETERO additum est, e prioribus audiri possit. Cf. Diad. 7. 6 (ep.) *o nos beatos, o fortunatam domum, praeclaram laudem nunc demum felicis imperii.* Tamen illam litteram facillime ante *d* a librario praetermitti potuisse non negauerim.

[2] Cf. KLEBS Rhein. Mus. 47 (1892) p. 38, qui hoc solo loco, Aurel. 17. 2. prouinciam Europam significari putat. Ceteris autem locis ei nomini fines maiores attribuit his quidem uerbis usus: "Vopiscus scheint den östlichen Theil der Balkanhalbinsel darunter zu verstehen." Nihil uero obstat, quin sensu usitato nomen adhibeatur.

Adiectiuum Prob. 13. 4. *recepit deinde omnes Europenses* (*europenses* PB[1]) *exercitus*, ad hanc partem orbis referendum esse e Prob. 10. 1 apparet: ubi illis *omnes orientalis exercitus* oppositi sunt.

significatione praeditum nomen occurrit 17. 2: *Gothi a. Thraciis amouendi. eorum enim plerique Haemimontum Europamque uexant*, ubi *Europa* prouinciae nomen est.

Hi loci, Prob. 9. 5 *Aegyptum et orientis maximam partem in Aureliani potestatem redegit* atque Trig. tyr. 30. 22 *historiae Alexandrinae atque orientalis ita perita, ut eam epitomasse dicatur* in eundem numerum referendi sunt, si oriens Aegyptum quoque amplectitur. (Cf. p. 9.)

B. Adiectiua.

Alex. 58. 3 disiunguntur positiuus et comparatiuus: *si qui tamen* (captiuorum) *regii aut nobiliores fuerunt, eos militiae . . . deputauit.*

C. Verba

disiunguntur Gord. 12. 2: *de quibus adiurare etiam soletis, ne quis ante rem completam quicquam uel audiat uel intellegat.* Cotta p. 35 hoc loco *uel — uel* pro *aut — aut* scriptum accipit, in quo ei non adstipulor, quia mea quidem sententia *audire* uerbo *intellegendi* continetur.

Tria membra componuntur, quorum primum medio comprehenditur, quod ipsum tertio comprehenditur: Aurel. 22. 1 *Transactis igitur, quae ad saeptiones atque urbis statum et ciuilia pertinebant, . . .*

Cum plures uoces iunguntur, nonnumquam postremum membrum notio est generalis, quae omnes uoces praecedentes complectitur: Opil. 13. 1 *nefas esse dicens leges uideri Commodi et Caracalli et hominum inperitorum uoluntates* (*uoluptates* PB). — Heliog. 17. 5 *appellatus est post mortem Tiberinus et Tractatitius et Inpurus et multa, si quando ea erant designanda, quae sub eo facta uidebantur.* — Claud. 2. 3 (Claudius), *in quo Traiani uirtus, Antonini pietas, Augusti moderatio et magnorum principum bona sic fuerunt, ut . . .* Potest ad *magnorum principum* uel *omnium* uel *aliorum* audiri. Cf. p. 2 n. — Aurel. 45. 1 *Vectigal ex Aegypto urbi Romae Aurelianus uitr*[e]*i chartae lini stuppae atque anabolicas species aeternas constituit.* — Aurel. 42. 6 *ut enim omittamus Vitellios, Caligulas et Nerones, quis ferat Maximinos et Philippos atque illam inconditae multitudinis faecem?* — Gord. 13. 7 (p. 59). Prob. 24. 1 *in*

Italia circa Veronam ac Benacum et Larium atque in his regionibus larem locauerunt.

Gord. 30. 8 *amore*[m] *populi R. et senatus circa Gordianum et totius Africae ac Syriae totiusque orbis Romani.* Postremum membrum omnia complecti *totius* uox indicio est, quae huic grauitatem tribuit. Cf. Aurel. 17. 3 (ep.) *omnes exercitus Thracicos, omnes Illyricianos totumque limitem in tua potestate constituo.* — Eodem modo in postremo membro positum est *omnis:* Hadr. 17. 2 *equos mulos, uestes sumptus et omnem ornatum semper exhibuit.* Non recte Cotta p. 30 hoc loco contra bonorum scriptorum morem *et* ante membrum postremum collocatum putat, cum hoc membrum bene seorsum ponatur, quia non aequa lege atque cetera est. Cf. p. 37. — Ver. 2. 10 *amauit uenatus palaestras et* (*palestra sed* PB) *omnia exercitia iuuentutis.* — Ant. P. 10. 9 *Edita munera, in quibus elephantos et corocottas et tigrides et rhinocerotes, crocodillos etiam atque hippopotamos et omnia ex toto orbe terrarum exhibuit.* — Heliog. 3. 4 *studens et Matris typum et Vestae ignem et Palladium et ancilia et omnia Romanis ueneranda in illud transferre templum.* — Heliog. 32. 9 *fertur et una die ad omnes circi et theatri et amphitheatri et omnium urbis locorum meretrices . . . ingressus.* — Auid. 12. 9 (or.) *peto, ut conscios . . . a caede, a proscriptione, a timore, ab infamia, ab inuidia et postremo ab omni uindicetis iniuria.* — Maximin. 6. 2 *gladios loricas galeas scuta tunicas et omnia arma illorum cottidie circumspicere.* — Gall. 11. 6 *fuit enim Gallienus . . . oratione* (*ratione* P¹B) *poemate atque omnibus artibus clarus.* — Trig. tyr. 14. 4 *Alexandrum Magnum Macedonem uiri in anulis et argento, mulieres et in reticulis et dextrocheriis et in anulis et in omni ornamentorum genere exculptum semper habuerunt.* — Trig. tyr. 15. 7 *perferens calorem pluuias et omnia mala, quae in se continent uenatoriae uoluptates.* — Trig. tyr. 16. 1 *homo . . . Graecae luxuriae, cui erant sigi⟨l⟩lata tentoria et aurati papiliones et omnia Persica.* — Claud. 1. 3 *qui* (Claudius), *si diutius in hac esset commoratus re p., Scipiones nobis et Camillos omnesque illos ueteres suis uir⟨tut⟩ibus . . . reddidisset.* — Prob. 2. 7 *Sallustios Liuios Tacitos Trogos atque omnes disertissimos imitarer uiros.* — Prob. 12. 2 *omnia in uno principe constituta sunt, rei militaris scientia, animus clemens, uita uenerabilis, exemplar agendae rei p. atque omnium praerogatiua uirtutum.* — Alex. 33. 2 (*omnino omnium*), Maximin. 28. 2 (p. 59).

Prob. 1. 3 quattuor partes toto comprehenduntur: *cuius* (Probi) *imperio oriens occidens meridies septentrio omnesque orbis partes in totam securitatem redactae sunt.*

Species uarias notio generalis complectitur, post quam alia notio specialis additur, Heliog. 26. 3: *Omnes de circo, de theatro, de stadio et omnibus locis et balneis meretrices collegit*[1]. Non est, cur cum Aem. Baehrensio (Neue Jahrbücher 133 (1886) p. 217) *communibus locis* (i. e. lupanaribus) scribatur uel alio modo codicum testimonium deseratur. Eundem usum scribendi inuenias Alex. 34. 2: *nanos et nanas et moriones et uocales exsoletos et omnia acroamata et pantomimos populo donauit* atque Ant. P. 5. 4: *Per legatos suos plurima bella gessit. nam et Brittannos per Lollium Vrbicum uicit legatum . . . et Mauros ad pacem postulandam coegit et Germanos et Dacos et multas gentes atque Iudaeos rebellantes contudit per praesides ac legatos.* Hac collocatione *Iudaeos rebellantes* plus ponderis accipit. Fieri quidem potest, ut *Germanos* et *Dacos* cum *Mauros* iuncta sint. At illa nomina ad uerba sequentia trahenda esse mihi uerisimilius uidetur sicut etiam Petero (cf. Index nominum et rerum memorabilium p. 287 et 303). Etiam ad hunc locum animum attendas uelim, Heliog. 19. 7 *strauit et triclinia de rosa et lectos et porticus ac sic ea deambulauit idque omni florum genere, liliis uiolis hyacinthis et narcissis.*

Propter haec exempla haesito, an Opil. 3. 6 ad codicum memoriam redeundum sit, ubi nunc uulgatur: *inde est quod se et Seuerus Antoninum uocauit, et plurimi fecerunt, ut Pertinax et Iulianus et idem Macrinus.* Pro *fecerunt ut*, quod etiam Lessing (Lex. p. 695 b) recepit, traditum est *fuerunt et. Fuerunt* uero quid hic agat, non uideo, et facillime in hoc *fecerunt* abire potuit, *et* autem, quo sicut in exemplis ante prolatis genus et eius species iunguntur, non temere abiciendum est.

II. De genere et specie copulatis.

Veniamus nunc ad ea exempla, in quibus post genus ponitur species[2], id quod Hellwig studio stili rhetorici saepius fieri existi-

[1] De praepositione in extremo membro omissa cf. p. 36 sq.

[2] V. praeter Hellwigium p. 14 sqq. Kühner et Stegmann l. l., Merten l. l., d'Ooge l. l., Draeger (Über Syntax und Stil des Tacitus p. 43).

mat, quam post speciem genus addi, simul illorum locorum climacem propriam esse ratus. Equidem non semper rem se ita habere opinor. Non enim in omnibus illius generis exemplis ascensus inuenitur, qui etiam interdum in iis locis, ubi species et genus coniunguntur, cerni potest, quos nonnumquam rhetorice compositos esse non est cur neges. Neque raro aut difficile aut omnino non discernere licet, utrum locutio aliqua in eum numerum, de quo nunc acturus sum, an inter paria uocum idem fere significantium (p. 11 sqq.) referenda sit. Verbi causa commemoro *orare atque obsecrare*, quod confinio horum generum tribuendum est, ab Hellwigio autem inter eos locos refertur, ubi notiones generales atque speciales componuntur. Ut uero in suet. »tigga och be» tantum grauius est »be» (inständig bitten), ita uerba *orandi* atque *obsecrandi*, cum iuxta ponuntur, uelut Auid. 12. 3, sensu tam similia facta sunt, ut, quin inter ea discrimen a scriptore non petitum sit, dubitari non possit. Exempla autem nonnulla ille inter ea posuit (p. 15 sq.), quae nunc percensere mihi in animo est, etiamsi paene eadem significatio utrique uoci inest[1]. Haec melius inter paria uocum eiusdem sensus habenda duco, ut Trig. tyr. 8. 2 *consulem habuimus tam seuerum tamque censorium* atque Carus 18. 1 *maiora uitia et scelera edidit*. Maioribus finibus *seuerus* atque *uitia* circumscripta sunt quam *censorius* atque *scelera*, significationes tamen, cum uoces inter se componuntur, altera alteri appropinquant, ita ut idem fere ualeant. His locis igitur hac ubertate sermonis atque climace adhibita modo plus ponderis quaeritur. Quam autem arte *uitia* atque *scelera* inter se coniuncta sint, ex eo apparet, quod *edidit*, quod proprie tantum ad *scelera* conuenit, etiam ad *uitia* pertinet.

A. Substantiua.

Hadr. 11. 6 *uoluptatibus detentus et lauacris* (cf. p. 3) membris interposito uerbo separatis. — Marc. Ant. 13. 3 *tanta autem pestilentia fuit, ut uehiculis cadauera sint exportata serracisque*, ubi per hyperbaton membra distracta sunt. —

[1] Putidius Hellwig l. l. exempla Caesariana in quattuor gradus digerit, prout plus uel minus inter notionem generalem atque specialem differat. Equidem inter primum et secundum horum graduum discrimen difficile statui neque nimiam subtilitatem rei prodesse ratus hos locos simul confero, postremos autem potius, ubi genus et species inter se proxima sunt, in aliud, ut dixi, caput differo.

Heliog. 6. 3 *aurigas . . . in omni uita et actu participes habuit.* — Ver. 1. 1 *Scio plerosque ita uitam Marci ac Veri litteris atque historiae dedicasse.* — Pesc. 1. 1 *atque ideo uix omnia de his plene in monumentis atque annalibus habentur.* Si per *monumenta* hoc loco tantum aerea atque lapidea monumenta significantur, nulla est abundantia. At uocem plus ualere ueri simile est (»Urkunden und Annalen«). — Comm. 5. 11 *omni parte corporis atque ore . . . pollutus.* — Seuer. 6. 1 *cum Seuerus in castris et tentoriis . . . adhuc maneret, . . .* — Alex. 15. 6 *negotia et causas prius a scriniorum principibus . . . tractari . . . praecepit.* Cf. Aurel. 1. 2 (p. 2) et Marc. Ant. 10. 10 (p. 27)[1].

Deus et numerus, in quo habetur, componuntur his locis: Diad. 7. 7 (ep.) *di faxint et bona Iuno, quam colis, ut . . . .* Aurel. 47. 3 (ep.) *diis et Perennitati uota constitui.* Cf. p. 4.

Opil. 2. 1 *seque* (Opilius Macrinus) *nunc Seuerum, nunc Antoninum, cum in odio esset omnium et hominum et militum, nuncupauit.* Si tamen *homines* idem ac *populus* ualet, quam significationem geminae particulae *et — et* commendant, nulla est abundantia. Cf. Marc. Ant. 12. 7 (p. 3).

Nomina geographica componuntur (cf. p. 4 sq.): Seuer. 3. 5 *dein ex altissimi montis uertice orbem terrarum Romamque despexit.* — Prob. 12. 3 (or.) *testes* (sunt) *Germani et Alamanni, longe a Rheni summoti litoribus.* Cf. Quatt. tyr. 13. 3 *Alamannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur*, et Trig. tyr. 8. 11 (p. 4).

Trig. tyr. 30. 7 *possum adserere tanto apud orientales et Aegyptiorum populos timori mulierem fuisse, ut . . .* atque Valer. 3. 2 *omnes gentes, quae sunt in Illyrico atque in oriente et in Ponto,* huc referenda sunt, si Aegyptum uel Pontum oriens complectitur. (Cf. p. 5.)

Fit etiam, ut notio generalis duabus uel pluribus notionibus specialibus praecedat: Alex. 29. 1 *Antequam de bellis eius et ex-*

[1] Pert. 7. 5, *donatiua et congiaria, quae Commodus promiserat, soluit.* huc non refero, quod *donatiua* ad munera militibus, *congiaria* ad munera populo data spectare uidetur. Tamen semel *donatiuum* de dono plebi dato adhibetur, Hadr. 23. 12 *donatiuum populo ac militibus expendit.* — Alex. 26. 1, *Congiarium populo ter dedit, donatiuum ter, carnem populo addidit.* ad populum *congiarium* refertur, *donatiuum* autem ad milites referendum uidetur. Cf. Ant. P. 4. 9 (p. 33 sq.).

peditionibus et uictoriis loquar, . . . — Gord. 33. 3 *nam omnia haec* (animalia) *Philippus exhibuit saecularibus ludis et muneribus atque circensibus.*

In eundem numerum refero Gord. 3. 2, ubi apud Petervm textus hanc formam nactus est: *poemata scripsit, quae omnia extant, et quidem cuncta illa quae Cicero, id est Marium et Aratum et Halcyonas et Vxorium et Nilum.* Codicum autem testimonium hoc est: . . . *et de merio et arathum et halcyonas* . . . . Haec quidem nomina a librario corrupta esse atque a Petero restituta facile intelligitur, difficilius tamen mihi persuadetur *id est* a librario in *et de* mutatum esse. Equidem haec uerba retinenda esse existimo, quo fit, ut nomina diuersa poematum Ciceronis uelut partes totius illius generis, quod est *cuncta illa quae Cicero* (sc. poemata scripsit), particula copulatiua cum illo genere iungantur. Comparanda sunt Heliog. 19. 7 et Opil. 3. 6 (p. 7), ubi post genus partes enumerantur uel dissolute uel particula cum illo iunctae. Pro *merio* autem facili mutatione *Mario* scribendum est. Inconcinnitatem uero, qua uni nomini *de* praeponitur, cetera in accusatiuo ponuntur, scripturae traditae obstare non puto.

B. Adiectiua.

Trig. tyr. 19. 2 *Pisone nobilissimae tunc et consularis familiae uiro*, ubi hyperbaton et climax animaduertenda sunt. Non autem est, cur *nobilissimo*, quod Peter an scriberet dubitauit, approbemus. Simile est Gord. 7. 2 (cum) *nobilibus et consularibus uiris ipsis minaretur excidium* . . .

Insignius interdum membrum speciale distinguitur climace manifesta. Verbi causa haec affero: Hadr. 17. 12 *cum a Farasmane ipse quoque ingentia munia dona*[1] *accepisset atque inter haec auratas quoque clamydes*, ... — Marc. Ant. 10. 1 *Senatum multis cognitionibus et maxime ad se pertinentibus iudicem dedit.*

Pert. 3. 6 . . . *cum illi* (milites) *quemcunque imperatorem uellent habere et ipsum specialiter Pertinacem.* — Alex. 59. 6. (Alexandrum) *milites et hi*[2] *praecipue, qui Heliogabali praemiis*

[1] u. p. 32.

[2] Cf. Lessing (Lex. p. 236 b), i Peter.

efflorueruut, . . . occiderunt. — Aurel. 46. 4 . . . *cum antea coloreas* (uestes) *habuissent et ut multum oxypaederotinas.* — Prob. 12. 1 (or.) *Dis immortalibus gratias et prae ceteris, patres conscripti, Ioui optimo.*

III. De notionibus idem fere significantibus copulatis.

Saepissime duae notiones isdem fere finibus circumscriptae componuntur. De qua abundantia Kühner et Stegmann, II p. 577, his uerbis loquuntur: »Um der Rede grössere Fülle, höheren Schwung und grösseren Nachdruck zu verleihen (*amplificatio* orationis), oft aber auch um einen Begriff anschaulicher zu bezeichnen, werden häufig statt eines Wortes zwei (gelegentlich auch mehrere) Synonyma gesetzt und (gewöhnlich) durch *et*, *atque*, *que* miteinander verbunden. Auch diese Ausdrucksweise gehört neben der Gesetzes- und Ritualsprache namentlich der Umgangssprache an, wird dann aber nach griechischem Vorbilde mit besonderer Vorliebe als rhetorisches Kunstmittel verwandt.» Iam apud Homerum paria uocum idem significantium occurrunt, quae etiam postea et praecipue apud oratores Atticos uulgata sunt (cf. Kühner et Gerth II: 2 p. 585). Apud Latinos autem synonyma composita e priscis temporibus usque ad seram aetatem inuenimus[1].

[1] Exempla Plautina atque Terentiana collegit Sjögren (De part. cop. p. 16, 19 sqq., 41 sq.). De usu synonymorum apud Terentium egit etiam Johnston in commentatione, quae inscribitur De sermone Terentiano quaestiones duae, Regimonti 1905, p. 30 sqq. Exempla e Rhetoricis ad Herennium atque e libris Ciceronis, Varronis, aliorum profert Merten p. 48 sqq. Caesarem quoque hanc ubertatem sermonis affectasse ostendit Hellwig p. 18 sqq.; de illius et de Pseudo-Caesarianorum consuetudine synonyma copulandi egit etiam d'Ooge p. 42 sq. et 55. Neque a Taciti stilo hunc usum alienum esse ostendunt Spitta p. 72 sqq. atque Draeger (Über Syntax und Stil des Tacitus p. 101). E posterioribus Apuleium saepe huic elegantiae sermonis studuisse e quaestionibus Kozioli p. 3 sqq. apparet, atque etiam Panegyricos Latinos huic consuetudini indulsisse ostendit Thörnell (Stud. Paneg. p. 55 sq.), qui idem et Tertullianea aliquot collegit in Erani uol. XVI p. 95 n. et 96. Addit Löfstedt (Tert. II p. 66 et 105) nonnulla exempla ex illo summo scriptore Christiano sumpta, copiosius de hac re disputans Tert. III p. 69—72.

Duae uoces numquam prorsus eundem sensum habent, cum, si diligenter inspexeris, semper aliquid inter eas differre cognoscas. Tamen hoc discrimen nonnumquam euanescit. Quod ni ita esset, numquam in locum uocabuli alterum idem ualens substitueretur, neque uocabulum a uocabulo ex usu pelleretur, id quod, cum linguae Romanicae nascerentur, saepius factum esse apertum est. Inter synonyma igitur dissimilitudo quaedam est exigua, cum diuersas species uel rationes eiusdem notionis generalis significent, quo illa notio dilucidior atque plenior oculis uel auribus occurrat, saepe etiam maior uis sermoni iniciatur. Neque parua elegantia sermonis atque ubertas hac ratione nascitur.

Nonnullae locutiones nostris scriptoribus cum ceteris communes esse uidentur. Quarum aliquot uulgatae et tritae sunt formulae, ut *hostes inimicosque, solutus ac liber, scienti prudentique, uno eodemque, oro et obsecro, palam aperteque.* Sunt etiam, quas hi historici saepius adhibuerint atque multis modis uariarint. Cf. infra *sanctus et uenerabilis, sanctus et grauis; grauis et serius, seuerior et grauior; libido et uoluptas, libido et cupiditas, studium et cupiditas.*

Wölfflin (Die S. H. A. p. 483) hunc usum loquendi perstrinxit. »Häufungen wie *animis atque pectoribus*», inquit, »*libidini et uoluptati, integer et incolumis, nequam et perditus*[1], *furiosus ac demens, solutus ac liber* (animus), *coniunctus atque sociatus, palam aperteque,* gehören zu den Liebhabereien des Trebellius, bezw. Vopiscus.» Ut infra uidebimus, alia multa exempla inueniuntur, neque solum in uitis, quae his S. H. A. tribuebantur.

Locorum autem, qui huic consuetudini sermonis argumento sunt, distributio atque compositio aut omnino non aut maxima difficultate effici potest. Exemplum enim interdum, cum genera harum locutionum certis finibus non distinguantur, utrum huc an illuc melius referatur, ambiguum est. Quare locos enumerari satis esse ratus tantum annotaui, si quid in primis oculos offendit. Inter haec autem exempla ea tantum recepi, ubi uoces uocula copulatiua (uel disiunctiua) nectuntur, locos, ubi uoces dissolute iunguntur, infra tractaturus (p. 31 sqq., 40 sqq., 45)[2].

[1] Melius *nequam perditus* scribitur; cf. p. 41.

[2] De synonymorum eiusmodi iuncturis, cum substantiuo genetiuus eiusdem fere sensus applicatus est, agunt Kroll in Rhein. Mus. uol. 52 (1897) p. 584 atque Lessing Stud. p. 11 sq. Hunc l. l. Aurel. 1. 4 traditum textum *dolorem gemitus sui . . . profundit* uindicantem sequor contra Frankfurterum Wiener Stud. 13 (1891) p. 253 *dolorem gemitusue* et Peterum *dolorem ingemiscens* conicientes.

A. Substantiua.

Gord. 16. 3 *cum ... luctus deinde mentem atque animum fatigaret, laqueo uitam finiuit.* — Tac. 13. 5 *mente atque animo defecisse.* — Valer. 6. 2 (or.) *Felicem te ... totius senatus sententia, immo animis atque pectoribus totius orbis humani.* — Cf. Gord. 14. 5 (p. 27 sq.).

Trig. Tyr. 31. 10 *ut ipsi de me solent cum risu et ioco iactitare.* — Quatt. tyr. 13. 1 *in imperium uocitatus est ludo paene ac ioco,* ubi hyperbaton inuenitur. — Cf. Ver. 2. 9 *deliciis ludis iocis* (p. 56) atque locutiones sueticas »lust och lek», »skämt och glam», »skämt och skratt».

Gord. 23. 3 *uoluptatibus et deliciis populus Romanus uacauit.* — Gall. 3. 6 *libidini et uoluptati se dedidit,* cui iuncturae anticlimax inest. — Cf. Trig. tyr. 6. 7 *libido et cupiditas mulierariae uoluptatis.*

Heliog. 9. 1 *dictum est a quibusdam per Chaldaeos et magos Antoninum Marcum id egisse, ut ...*[1]. Cf. Seuer. 15. 5 *multos etiam, quasi Caldaeos aut uates de sua salute consuluissent, interemit* (p. 2. n.).

Alex. 7. 6 (accl.) *Parthos et Persas Antoninus uincat.* — Prob. 12. 4 (or.) *quid Parthos ac Persas atque omnem Ponticum tractum* (loquor)? — Tac. 15. 2 *qui det iudices Parthis ac Persis,* quae exempla allitteratione ornata sunt. Cf. nomina gentium alio modo abundanter usurpata (p. 4 sq., 9, 24, 59).

Marc. Ant. 18. 5 *omnis aetas, omnis sexus, omnis conditio ac dignitas* (»jeder Stand und Rang»). — Valer. 5. 1 ... *ut post omnes honores et magistratus insigniter gestos imperator fieret.* — Cf. Heliog. 6. 1 *uendidit et honores et dignitates et potestates*[2].

Marc. Ant. 3. 7 *tantumque operis et laboris* (»mühevolle Arbeit») *studiis inpendit, ut corpus adficeret.* — Comm. 2. 7 *popinas et ganeas in Palatinis semper aedibus fecit*[3]. —

[1] Eadem substantiua dissolute componuntur Tac. Ann. XII. 22 (231. 17) *accusatorem, qui obiceret Chaldaeos magos.*

[2] Similes locutiones non rarae sunt. Cf. Caes. Ciu. I. 7. 1 *honori et dignitati,* Sall. Iug. 3. 1 *magistratus et imperia,* 4. 7 *imperia et honores,* Suet. Aug. 26. 1 *magistratus atque honores.*

[3] Cf. Suet. Tib. 34. 1 *popinas ganeasque.*

Seuer. 16. 1 . . . *cum . . . inde morbos aegritudinesque contraherent.* — Pesc. 10. 9 . . . *ubi et inuidia et odium deposita erant*, quo loco geminis particulis substantiua iunguntur. — Heliog. 12. 4 *eorumque* (exsoletorum) *adtrectatione*[s] *et tactu praecipue gaudebat.* — Alex. 51. 5 *in procinctu atque in expeditionibus apertis papilionibus prandit atque cenauit.* — Maximin. 33. 5 *quod ideo testatum posui, ne quis me hoc nescisse crederet, quod re uera magnum stuporem ac miraculum creat.* Textum traditum si retinueris duce LESSINGIO (Lex. p. 98 a), melior fit clausula, *āc mīrāc(u)lūm crĕăt*, quam si cum PETERO *crĕārĕt* substitueris. Similiter componuntur gerundiua Gall. 8. 3 atque gerundiuum et adiectiuum Claud. 2. 5 (p. 22). — Gord. 25. 7 *tantum autem ualuit eius grauitas et sanctimonia, ut . . . .* Cf. adiectiua similia composita, p. 17. — Max. Balb. 12. 1 *Maximum redeuntem e Rauennati cum exercitu integro* (*ingro* P¹) *et copiis exspectabat.* Quam arte inter se substantiua nexa sint, ex eo apparet, quod *integro* ad utrumque pertinet. — Aurel. 39. 3 *Idem quadruplatores* (*quadrumplatores* P¹B) *ac delatores ingenti seueritate persecutus est.* Ut PAVLY et WISSOWA (Realencyklopädie IV. 2427) ostendunt, *delator* duas significationes habet, cum et idem ac *denuntiator* ualeat et idem atque *accusator*, id est, qui ex auaritia aliquem in ius uocat, qui etiam *quadruplator* dicitur. Utro autem sensu uox hic praedita sit, apertum non est. — Aurel. 49. 3 *seruos et ministros peccantes coram se caedi iubebat.* Hic locus utrum in hunc numerum ducendus sit, an potius *ministri* genus sit, cuius *serui* pars est, dubium uidetur. Sed ministri, qui caeduntur, non nisi pro mancipiis habiti uidentur. — Tac. 8. 4 (or.) *paruit praeceptis et uoluntati* (*uoluptati* PB) *castrensium ordo ille nobilissimus.* — Tac. 16. 8 *satis factum arbitrans studio et cupiditati meae*, ubi hoc substantiuum grauius illo esse uidetur. — Prob. 1. 6 *neque ego nunc facultatem eloquentiamque polliceor sed res gestas.* — Prob. 9. 4 *paludes plerasque siccauit atque in his segetes agrosque constituit.* — Carus 2. 2 (Romulo) *uero patre ac parente rei p.*, ubi allitterationem animaduertas uelim.

Adiectiuum idem ante utrumque substantiuum ponitur Alb. 7. 2 *litteras . . . summi amoris ac summae adfectionis* (*addefectionis* P¹), ubi posteriore membro addito anticlimax orta est atque allitteratione substantiua ornata sunt.

Vocum, quae componuntur, alteri propria, alteri translata significatio est[1]: Max. Balb. 14. 3 *turbantibus igitur militibus, cum primum nuntiatum esset Maximo turbam illam tempestatemque uix euadi posse, . . .* Hic et intentionem et allitterationem et hyperbaton cernas. — Gall. 16. 1 *natus abdomini et uoluptatibus.* Prius uocabulum posteriore explanatur. Lessing (Lex. p. 2 a) confert Cic. in Pis. 41 *ille gurges atque helluo natus abdomini suo, non laudi et gloriae.* — Claud. 12. 3 *quo ad deos atque sidera demigrante.* — Tac. 4. 7 (or.) *uidete diligentius, quam aetatem de* (*ne* PB) *cubiculo atque umbra in pruinas aestusque mittatis.*

Significatio alterius uocabuli altero definitur Ant. P. 2. 6: *ingenti custodia et diligentia fecit, ne id posset admittere.* Eodem modo Auid. 12. 3 (or.) *uos oro atque obsecro, p. c., ut . . . meam pietatem clementiamque seruetis*, sensus, quem hoc loco *pietas* induit, *clementia* uoce explicatur. Similis est etiam hic locus, Auid. 5. 6 (or.) *Cassium, hominem Cassianae seueritatis et disciplinae.*

Componuntur substantiuum et alterum huic contrarium cum *in* priuatiuo iunctum Alex. 28. 2: *hostes inimicosque rei p.* Cf. Auid. 13. 5 (p. 27)[2].

Vox Graeca et Latina componuntur Aurel. 6. 4 . . . *adeo ut etiam ballistia pueri et saltatiunculas* ⟨*in*⟩ *Aurelianum tales quibus diebus festis militariter saltitarent*[3]. Cf. p. 42.

Propinqua inter se sunt illa substantiua, quae componuntur Gord. 9. 2, *maluit honestas causas habere moriendi quam dedi uinculis et carceri Maximini* (*et* in rasura positum est in cod. P)[4]. Simili ratione iunguntur partes eiusdem notionis generalis, quae animo obuersatur, Did. Iul. 4. 6 (populus) *ferro et uulneribus et pollicitationibus aureorum . . . summotus atque depulsus est.* Pro illis, quae componuntur, substantiuis causam et euentum significantibus unum satis esset et quidem *uis* uel simile. Non multum differt Max. Balb. 8. 7 *ne . . . uulnera et sangui-*

[1] Suet. Tib. 59. 2 duae uoces translato sensu componuntur: *quasi . . . non tam ex animi sententia quam bile et stomacho fingerentur.*

[2] Cf. Suet. Aug. 69. 2 *necdum plane inimicus aut hostis.*

[3] *tales* <*componerent*>, *quibus . . . saltitarent* Peter. At *quis* interdum pro *aliquis* usitatur. Cf. p. 54 et n. 1.

[4] Cf. bimembre dissolutum allitteratione ornatum Flor. epit. II. 9. 10 *carcer catenae, fuga exilium.*

nem perhorrescerent. Quo loco attendas uelim, quod praecedit: *ituros ad bellum Romanos debuisse pugnas uidere et uulnera et ferrum et nudos inter se coeuntes.*

Aliud idem genus exemplum est Max. Balb. 2. 7, *uitae sanctimonia, quam a prima aetate in studiis semper ac litteris tenuit,* ubi per hyperbaton *semper* interpositum est. Denique hos locos ascribo, Tac. 4. 2 (accl.) *tibi curam rei p. orbisque mandamus*; Tac. 18. 2 (ep.) *Quod bonum faustum felix salutareque sit rei p. orbique Romano.* Tantum ut *res publica* intendatur, *orbis* additum est; inter imperium enim Romanum atque orbem terrarum minimum discrimen sentiebatur.

Per climacem prius substantiuum nonnumquam augetur. Praeter aliquot locos iam indicatos, Max. Balb. 14. 3 (p. 15), Tac. 4. 2, 18. 2 (supra), Tac. 16. 8 (p. 14), inspicias Comm. 16. 2 *et repentina caligo ac tenebra in circo calendis Ianuariis oborta*; Trig. tyr. 24. 2 *cum militum suorum inpudentiam et procacitatem ferre non posset*; Carus 18. 1 *maiora uitia et ⟨s⟩celera edidit*; Marc. Ant. 19. 6 *nullus postremo ex omnium ⟨de⟩decorum ac scelerum conluuione* (*non luuione* PB) *concretus.* Cf. uoces ἀσυνδέτως iunctas Alex. 9. 5 *uicisti uitia, uicisti crimina dedecora* (p. 32).

B. Adiectiua.

Marc. Ant. 4. 10 *seriumque et grauem* (eum) *reddidit* (studium philosophiae). — Claud. 5. 2 *imperator grauis et serius.* — Claud. 12. 5 *se grauem et serium contra milites ostenderat.* Cf. Tac. 6. 2 (p. 28). Eadem adiectiua in comparatiuo et superlatiuo gradibus posita componuntur Trig. tyr. 23. 4 *quod esset seuerior et grauior militibus*; Trig. tyr. 24. 2 *uolens se grauissimo principi et seuerissimo dedit,* ubi per hyperbaton adiectiua alterum ab altero remouentur[1]. Cf. Max. Balb. 6. 2 (p. 20), Aurel. 38. 2, aduerbia (p. 23), Aurel. 36. 2, trimembre dissolutum (p. 59), Heliog. 8. 4 (p. 44), hunc denique locum, Trig. tyr. 8. 2 *a Marco Tullio tali aspersus est ioco: »Consulem habuimus tam seuerum tamque censorium . . .»* Quam prope hoc adiectiuum ad illud accedat, apparet ex hoc loco, ubi *censura* plane pro *seueritas* adhibetur, Pesc. 7. 7 *Hic erga milites tanta fuit censura, ut, cum apud*

[1] Comparatiui atque superlatiui synonymi ex his exemplis excerpti indicantur p. 19.

Aegyptum . . . uinum peterent, responderit: »Nilum habetis et uinum quaeritis?»

Auid. 3. 4 *Fuit his moribus, ut nonnumquam trux et asper uideretur, aliquando mitis et lenis.* Priori adiectiuorum pari similis est locutio illa, quae inuenitur Trig. tyr. 9. 3, *usque adeo asper et truculentus, ut plerasque ciuitates uacuas a uirili sexu relinqueret* (cf. etiam Gord. 7. 2 *temporibus Maximini, hominis saeui atque truculenti)*, posteriori autem haec, quam ex eodem libello annotaui, Trig. tyr. 24. 4 *quare cum Aurelianus nihil simplex neque mite aut tranquillum facile cogitaret, . . .* — Max. Balb. 6. 2 *neque umquam usque ad exitum negotiorum uel inhumanus uel inclemens*, ubi in sententia negatiua ut in praecedenti exemplo per *aut* sic per *uel—uel* adiectiua iunguntur. — Comparatiui nectuntur Aurel. 25. 1, *praeceptis . . . Apollonii parens humanior atque clementior fuit*, superlatiui Pert. 4. 3, *Pertinax mitissimus et humanissimus fuit.*

Ant. P. 4. 3 *maxime cum . . . se sanctum grauemque praebuisset.* — Auid. 1. 5 *uirum sanctum et grauem.* — Alex. 66. 2 *amicos sanctos et uenerabiles habuit.* Cf. in eadem paragrapho de iisdem: *sanctos uenerabiles, continentes religiosos* (p. 44). Eadem iunctura saepius inuenitur: Trig. tyr. 30. 11 (ep.) *sancto ac uenerabili duce;* Trig. tyr. 32. 5 *sancta et uenerabilis femina*[1]. Cf. eodem loco *inter sacratissimas feminas.* Manifestus ascensus est Gall. 15. 3 *uir sanctus ac iure uenerabilis.* Cf. etiam asyndeta trimembria Carus 18. 4 et Aurel. 24. 8 (p. 60), par substantiuorum Gord. 25. 7 (p. 14).

Gord. 18. 2 *nimis acceptus et carus*[2]. Cf. bimembre dissolutum Heliog. 2. 4 (p. 40) *amicas caras.* — Gord. 10. 5 *amica et fami-*

[1] Trita atque uulgata iunctura horum similiumque adiectiuorum esse uidetur. Cf. Tac. Dial. 10 (289. 27) *ego uero omnem eloquentiam omnesque eius partes sacras et uenerabiles puto*, ad quem locum GVDEMAN (p. 251) similes locutiones ex aliis scriptoribus annotat. Addo Paneg. X. 1. 2 (263. 1) *sanctum illud uenerandumque palatium.* — XI. 2. 2 (276. 3) *ipsi illi dies . . . sancti sunt ac religiosi.* — Oros. Hist. VII. 33..3 *sanctos ac uenerabiles milites Dei*, quem locum amicus lic. phil. J. SVENSSON mihi ostendit. Hoc in optimis codicibus exstat, a ZANGEMEISTERO uero pro *uenerabiles* secundum D ς codices editur *ueros.*

[2] Similes locos apud Sallustium Tacitum alios indicat KLEBS in Rhein. Mus. uol. 47 (1892) p. 538. Cf. etiam Suet. Tib. 55 *ueteres amicos ac familiares;* Tib. 51. 2 *omnisque amicitias et familiaritates . . . intra breue tempus afflixit.*

liaris moribus Maximini. — Alb. 2. 2 (ep.) *Alias ad te publice ... misi, sed hanc familiarem et domesticam* (sc. epistulam). *Domesticus* hoc loco inusitatum habet sensum, qui uoce *familiaris* explicatur[1].

Ant. P. 2. 5 *Hadriano ... post mortem infinitos atque immensos honores decreuit.* — Auid. 12. 7 (or.) *sint diuites, sint securi, sint uagi et liberi.* — Auid. 14. 5 (ep.) *philosophatur et quaerit ... de honesto et iusto.* — Auid. 14. 8 *audisti praefectum praetorii ... mendicum et pauperem, sed subito diuitem factum,* ubi anticlimax cernitur. — Pesc. 12. 3 (omnia corrigere) *cum lenitate, sed militari, non remissa et inepta atque ridicula.* — Alex. 59. 8 *matrem eius auaram et cupidam.* — Gord. 5. 3 (ep.) *Neque gratius mihi quicquam, p. c., neque dulcius potuistis efficere, quam ut ...,* ubi per *neque* — *neque* uoces synonymae componuntur. — Valer. 2. 1 (ep.) *auxilia integra et incolumia*[2]. — Trig. tyr. 3. 9 (ep.) *qui unicuique proprium et suum seruet.* — Trig. tyr. 14. 5 *signis breuibus et minutulis.* — Aurel. 22. 4 *multa eius magna et praeclara tam facta quam dicta sunt.* — Quatt. tyr. 4. 1 *reliqua parte corporis candidus, sed pilosus atque hispidus.* Utrumque uocabulum apud S. H. A. ἅπαξ λεγόμενον est. — Quatt. tyr. 4. 3 *... cum ipse reclinis ac resupinus et curuatus in manus penderet potius quam iaceret.* Haec quoque adiectiua ἅπαξ λεγόμενα apud S. H. A. sunt.

Adiectiua componuntur, quorum alterum cum *in* priuatiuo iunctum est, Marc. Ant. 16. 1 *in filium et* [Commodum] *quidem scelestum atque inpurum.* — Alb. 13. 8 (or.) *sordi⟨d⟩um et inpurum principem.* Cf. Opil. 4. 1, trimembre dissolutum, (p. 59), et Comm. 1. 7, tetracolon, (p. 44). — Comm. 13. 1 *Fuit autem ualidus ad haec, alias debilis et infirmus.* — Maximin. 16. 2 (ep.) *incertus et uarius fluctuabo*[3].

Adiectiuum et participium componuntur: Heliog. 35. 1 *uitam me inuitum et retractantem ... scribere ... uoluisti,* ubi participio adiectiuum exaggeratur. — Seuer. 22. 2 *diu solus et destitutus stetit,* quae locutio plane nostro »ensam och övergiven»

[1] Cf. Suet. Aug. 61. 1 *referam nunc interiorem ac familiarem eius uitam.*

[2] Cf. Caes. Ciu. III. 47. 3 *integras atque incolumes copias,* Plin. paneg. 67. 5 (63. 6) *egit cum dis ... res publica, ut te sospitem incolumemque praestarent.*

[3] Cf. Suet. Aug. 17. 1 *societatem semper dubiam et incertam.*

consentit. — Maximin. 21. 5 *plerique sane dicunt ipsam Hemonam uacuam et desertam inuentam esse.* — Aurel. 1. 2 *ibi cum animus ... a negotiis publicis solutus ac liber uacaret ...* — Prob. 6. 7 *si quid sibi scienti prudentique eueniret.*

Componuntur cum adiectiuo gerundiuum Claud. 2. 5 (p. 22), aduerbium Gall. 21. 1 (p. 23), numerale Alb. 1. 1 *Vno eodemque pro⟨pe⟩ tempore*[1].

Comparatiui his locis componuntur: Gord. 5. 3 (p. 18), Trig. tyr. 23. 4 (p. 16), Aurel. 25. 1 (p. 17), praeterea: Opil. 11. 1 *Fuit tamen in uita imperatoria paulo rigidior et austerior;* Aurel. 28. 4 *super⟨b⟩ior atque insolentior.* Cf. aduerbia Aurel. 27. 1 (p. 23). Cf. etiam tres comparatiuos dissolute iunctos Claud. 16. 3 (p. 60) atque tres dissolute nexos, ad quos quartus adicitur, Aurel. 24. 8 (p. 60).

Superlatiui his locis componuntur: Trig. tyr. 24. 2 (p. 16), Pert. 4. 3 (p. 17), aduerbia Aurel. 38. 2 (p. 23). Tres superlatiui iunguntur Quatt. tyr. 8. 5 (p. 60).

A posterioribus scriptoribus uis comparatiui atque superlatiui ita attenuatur, ut saepe non plus ualeant quam positiuus. Quo fit, ut diuersi gradus particula copulatiua componantur. Iam apud priscos et Ciceronem aliosque optimi temporis scriptores inueniuntur superlatiui cum positiuis iuncti, quibus ponderis quiddam inest (u. Kühner et Stegmann, II p. 476, 478 sq., et Schmalz, p. 616). In eiusmodi tamen locutionibus, ubi positiuus et superlatiuus componuntur, interdum superlatiuum maiorem uim habere, quamquam positiuus propius ad hunc accedit, non est negandum. Obseruandum enim est, quod Löfstedt (Tert. III p. 72) de iuncturis illis uulgatis *bonus et optimus* atque *malus et pessimus* monuit: »Was die Erklärung dieser Ausdrücke anbetrifft, so darf man, wie ich glaube, nicht ohne weiteres von vollständiger Gleichwertigkeit des Positivs und des Superlativs ausgehen; vielmehr liegt, wie ich a. a. O. (Arnob. p. 66) bemerkt habe, von Anfang an eine wirkliche Steigerung vor, allmählich verflüchtigt sich aber das Gefühl für den eigentlichen Charakter des Superlativs, und das Ganze wird mit der Zeit ein ziemlich reiner Pleonasmus.» Quantum autem uis clausularum ad sermonem hoc modo uariandum ualuerit, osten-

[1] Cf. Suet. Cal. 10. 1 atque 25. 3 *uno atque eodem die.* — Oros. Hist. II. 2. 10 *sub una eademque conuenientia temporum.*

dunt idem in Arnobianis p. 66, cf. p. 57, atque HAGENDAHL p. 130 sqq.[1].

Apud S. H. A. locutionem illam usitatissimam *bonus et optimus* non inueni, similem tamen hanc, Seuer. 20. 4 *neminem . . . magnorum uirorum optimum et utilem filium reliquisse satis claret.*

In comparationem uocanda sunt haec, Aurel. 43. 4, ubi trimembre dissolutum reperimus, *bonus cautus optimus uenditur imperator*, atque Auid. 13. 10, ubi scribendum est cum PETSCHENIGIO (III p. 349) *non modo clemens sed* (et PETER) *bonus, sed utilis et optimus imperator*, ubi inuerso ordine eadem uerba leguntur. Cf. Comm. 1. 5 *suis praeceptis et magnorum atque optimorum uirorum.*

Eiusdem generis est Max. Balb. 6. 2 *uultu grauissimus et retorridus*, "mit höchst ernsthafter und in tiefe Falten gelegter (mürrischer) Miene", GEORGES II 2367[2].

In illis exemplis positiuus et superlatiuus eundem fere sensum habent, in his autem uaria significant: Alex. 16, 1 *neque ullam constitutionem sacrauit sine uiginti iuris peritis et doctissimis ac sapientibus uiris isdemque disertissimis non minus quinquaginta*, ubi *doctissimis ac sapientibus* arte inter se cohaerent. — Alb. 3. 3 (uerba tyranni) . . . *quia credo sub homine optimo et uiro forti posse bene rem publicam regi*, ubi adiectiua suo quidque substantiuo attributa sunt. — Hos locos iam protuli (p. 5 et 10), Alex. 58. 3 *si qui tamen* (captiuorum) *regii aut nobiliores fuerunt*, ubi positiuus et comparatiuus componuntur, atque Trig. tyr. 19. 2 *nobilissimae tunc et consularis familiae uiro.* — Cf. etiam Trig. tyr. 3. 1 *Hic uir in bello fortissimus, in pace constantissimus, in omni uita grauis*, ubi positiuus gradus in postremo membro positus superlatiuis in prioribus adhibitis respondet[3].

[1] Praeter libros iam laudatos cf. PETSCHENIG III p. 349 et idem in indice uerborum et locutionum Victoris Vitensis (C. S. E. L. VII p. 150), SITTL p. 101 sqq., KROLL in Rhein. Mus. 52 (1897) p. 586 sq., SJÖGREN (De part. cop. p. 13 sq., 48), LÖFSTEDT in Glottae uol. IV p. 260. BAEHRENS in Glottae uol. V p. 93 sq., SALONIVS p. 195 sqq. Alia opera uirorum doctorum indicant SALONIVS atque HAGENDAHL l. l., qui idem hanc consuetudinem sermonis a Graecis non alienam esse monuit (cf. KÜHNER et GERTH II: 1 p. 24).

[2] Cf. Alex. 59. 5 *Gallicanae mentes, ut sese habent durae ac retorridae et saepe imperatoribus graues . . .*

[3] Conferendi sunt etiam ii loci, ubi *nimius* aut adiectiuum, cui *nimis* praecedit, atque alterum adiectiuum componuntur. Ea enim uis, quae his uocabulis inest atque comparatiuo uel superlatiuo gradibus similis est, in sermone uulgari atque cottidiano nonnumquam quasi obtunditur. Quo fit, ut *nimis* apud S. H. A. saepe idem fere ac *ualde* ualeat atque *nimius* non plus quam *multus* uel *magnus*. Cf. LESSING, Lex. p. 381 b, atque Aurel. 8. 3 (p. 27).

C. Verba.

Auid. 12. 3 (or.) usitatissima illa iunctura occurrit: *uos oro atque obsecro, p. c.*[1]. Cf. Tac. 6. 8 (p. 45) — Heliog. 18. 3 . . . *utique inferis eius caput dicaretur deuouereturque*, ubi allitteratio obseruanda est. — Alex. 20. 1 . . . *ita ut res poscebat, emendare⟨t⟩ atque corrigere⟨t⟩*. Cf. participia Gord. 25. 5 (infra). — Maximin. 28. 6 *sed ut donaret ac largiretur.* — Aurel. 6. 2 *si forte quaereretur, quis Aurelianus aliquid uel fecisset uel gessisset.* Quamquam *facere* interdum apud infimi aeui scriptores idem est atque *dicere* (cf. Löfstedt Per. Aeth. p. 165 sq.), mihi uulgata significatio uerbi *faciendi* praeferenda uidetur. De *uel* — *uel* persaepe pro *et* — *et* adhibito u. Cotta (p. 35). — Tac. 6. 3 (or.) *nec potest aliud nobis exhibere quam ipse desiderauit et uoluit.* — Tac. 9. 1 (or.) *uestrum est igitur ea iubere atque sancire, quae digna . . . uideantur.*

Verbum usu tritum cum inusitatiore iungitur Max. Balb. 17. 6 (ep.) *haec enumerare difficile est, nedum prosequi consentanea dicendi dignitate. nam quod nobis uita per uos reddita est, . . . quomodo dicam aut prosequar?* In sententia interrogatiua particula disiunctiua uices copulatiuae sustinet.

Participia his locis componuntur: Ver. 11. 4 *quod nos non in medio relinquemus, sed totum purgatum confutatumque* (*totam purgatam confutatamque* PB) *respuimus.* — Did. Iul. 4. 6 (populus) *summotus atque depulsus est.* — Diad. 6. 5 *hoc* (nomine) *sublato atque abolito.* — De Heliog. 24. 6 cf. p. 45. — Alex. 55. 2 *fuso denique fugatoque tanto rege*, ubi uulgata illa (allitteratione ornata) formula per hyperbaton distracta cernitur. Klebs (Rhein. mus. 45 (1890) p. 461) confert Aur. Vict. Caes. 24. 2 (ubi eadem res narratur) *fuso fugatoque.* Cf. etiam Alex. 56. 7 *fusum fugauimus* et Aurel. 41. 9 *fudit fugauit oppressit* (p. 60)[2]. — Gord. 25. 5 *adulescentem soceri consiliis emendatum atque correctum.* Cf. Alex. 20. 1 (supra). — Trig. tyr. 2. 2 *Sapori regi coniunctus atque sociatus.* — Trig. tyr. 19. 3 *diligentissime cauens et prouidens.* — Aurel. 31. 5 (ep.) *iam satis Palmyrenorum cae-*

---

[1] Cf. Sjögren (De part. cop. p. 69 sq.), Merten p. 50 sq., Wölfflin (Allitt. Verbind. p. 72, 73), Prevss p. 95.

[2] De uerbis *fundere fugare* inter se compositis cf. Wölfflin (Allitt. Verbind. p. 60), Prevss p. 96 sq.

sum atque con[s]cisum est, ubi uerbum simplex et compositum allitteratione ornata iunguntur[1].

Per climacem posterius membrum additur his locis: Comm. 1. 7 *nam a prima statim pueritia ... ore quoque pollutus et constupratus fuit*[2]. Traditum est *constuppatus*, pro quo Cornelissen (Mnem. 1883 p. 249) *conspurcatus* scripsit. — Aurel. 31. 1 *Palmyreni, qui iam uicti atque contusi fuerant.* — Carus 15. 4 *iam illud notum est atque uulgatum*[3], ubi per hyperbaton uerba collocata sunt.

Participium et substantiuum siue adiectiuum iunguntur Heliog. 9. 1: ... *Marcum id egisse, ut Marcomanni p. R. semper deuoti essent atque amici*, quo loco hyperbaton inuenitur.

Gerundium et eiusdem stirpis substantiuum componuntur Marc. Ant. 13. 4: *leges sepeliendi sepulchrorumque asperrimas sanxerunt.*

Gerundiua componuntur Gall. 8. 3 *ita ut miranda quaedam et stupenda monstrarent.* Per hyperbaton *quaedam* interpositum est. Gerundium et adiectiuum iunguntur Claud. 2. 5. *stupenda et mirabilis docet uita.* Cf. substantiua Maximin. 33. 5 (p. 14).

Per *qua* — *qua* synonyma componuntur Aurel. 19. 6 (or.) *agite igitur, pontifices, qua puri, qua mundi, qua sancti, qua uestitu animisque sacris commodi, templum ascendite*, ubi inter duo priora adiectiua non multum interesse puto.

D. Aduerbia.

Marc. Ant. 19. 12 caput his uerbis finitur: *et quidem haec breuiter et congeste*, quorum aduerbiorum posterius inusitatius est[4]. — Maximin. 30. 6 *uix aegreque ... deturbatus est.* — Trig. tyr. 30. 11 (ep.) *quid de diuo Claudio* (loquuntur) ..., *qui eam* (Zenobiam) ... *passus esse dicitur imperare? idque*

[1] Nonnumquam alias quoque uoces eiusdem stirpis componuntur. Cf. Trig. tyr. 6. 3 *militum et militarium* (p. 3), Marc. Ant. 13. 4 *leges sepeliendi sepulchrorumque* (p. 22), Trig. tyr. 9. 9 *lacera occide concide* (p. 61), Suet. Aug. 46 *urbe urbanisque rebus*, Claud. 38. 1 *irae et iracundiae.* V. etiam Sjögren (De part. cop. p. 68 sq.).

[2] Cf. Tert. Idol. 1 (R. W. 30. 14) *Quis enim immundis spiritibus cooperator non conspurcatus et constupratus incedit?*

[3] Cf. Suet. Aug. 94. 5 *nota ac uulgata res est.*

[4] Cf. Suet. Tib. 61. 1 *quem* (commentarium) *de uita sua summatim breuiterque composuit.*

consulte ac prudenter, ut illa seruante orientalis finis imperii ipse securius, quae instituerat, perpetraret. Quod traditum est, *occulte*, contextui repugnat, cum, quare Claudius id consilium celauerit, non eluceat. Itaque Pavckeri coniectura (p. 52*) *consulte*, quae a Petero et Lessingio (Lex. p. 91 a) recepta est, approbanda esse uidetur. — Claud. 2. 7 *fures iudices palam aperteque damnauit*[1].

Comparatiui componuntur his locis: Aurel. 27. 1 *superbius insolentiusque rescripsit.* Cf. adiectiua Aurel. 28. 4 (p. 19). — Prob. 13. 2, ubi allitteratio cernitur: *uario genere uindicauit, mollius tamen moderatiusque, quam* (alii) . . . *uindicauerant.*

Superlatiui hoc loco iunguntur: Aurel. 38. 2 *quod* (monetariorum bellum) *acerrime seuerissimeque conpescuit.*

Aduerbium et adiectiuum componuntur Gall. 21. 1: *de quibus breuiter et pauca dicenda sunt.* Cf. cap. XI.

Haec exempla si recognouerimus, nonnumquam, non tamen saepe, allitterationem inueniemus, et quidem his locis: Auid. 12. 3 (p. 21), Alb. 7. 2 (p. 14), Heliog. 18. 3 (p. 21), Alex. 7. 6 (p. 13), 55. 2 (p. 21), Max. Balb. 14. 3 (p. 15), Aurel. 31. 5 (p. 21), Tac. 15. 2 (p. 13), Prob. 12. 4 (p. 13), 13. 2 (supra), Carus 2. 2 (p. 14)[2].

Nonnumquam etiam climax cernitur, interdum anticlimax. Fortasse autem aliquis locutionem, in qua anticlimax est, minore ui et uenustate quam ceteras praeditam putet. Neque tamen necesse est, ut sic se res habeat. Multum enim abest, ut illa nostra »tigga och be» et » nöd och brist» leuiora sint quam si singula uox poneretur. Ut enim notio uberius explicetur, quam accuratissime exprimatur maiusque ponderis accipiat, uox posterior, licet interdum priore leuior sit, additur.

---

[1] Cf. Suet. Tib. 21. 2 *Augustum palam nec dissimulanter morum eius diritatem adeo improbasse, ut* . . . 43. 2 *palam iam et uulgo nomine insulae abutentes.*

[2] Klebs in Rhein. Mus. uol. 47 (1892) p. 46, ubi e S. H. A. exempla allitterationis enumerat, ex his locis tantum duos postremos recipit. — Non illi assentior hoc loco allitterationem statuenti, Quatt. tyr. 4. 3 (p. 18) *reclinis ac resupinus*, ubi eadem syllaba in initio utriusque adiectiui posita est.

De usu allitterationis cf. Wölfflin (Allitt. Verbind.), Kelleri Grammatische Aufsätze, Leipzig 1895, p. 1 sqq., Hoppe Syntax und Stil des Tertullian, Leipzig 1903, p. 148 sqq.

IV. De parallellismo orationis similibusque.

Inter exempla, quae supra protuli, etiam haec sunt, Trig. tyr. 8. 2 (p. 16) *consulem habuimus tam seuerum tamque censorium*, ubi *tam* particula in utroque membro posita est, atque Alb. 7. 2 (p. 14), ubi simili ratione adiectiuum iteratur. Non multum ab illis differunt loci, ubi particula copulatiua omissa est, uelut Alex. 17. 4 (uerba imperatoris) *tam fatuum, tam stultum esse me iudicat?* Quae ratio partes sententiarum inter se per asyndeton et anaphoram componendi etiam his locis inuenitur: Alex. 56. 9 (accl.) *uere Parthicus, uere Persicus*, de quo pleonasmo u. p. 13. — Gord. 11. 5 (or.) *ab inmani nos belua* (*uelua* P^1B), *ab illa fera uindicauerunt.* — Quatt. tyr. 1. 3 *Trebellius Pollio ea fuit diligentia, ea cura in edendis bonis malisque principibus, ut* .... Cf. Ant. P. 2. 6 (p. 15). — Alb. 12. 8 *magnam sane mihi reddidistis uicem, magnam gratiam.* — Maximin. 5. 4 *quem Alexander miro cum gaudio, mira cum gratulatione suscepit*[1]. — Valer. 5. 6 (or.) *hostis criminum, hostis uitiorum.* — Verbum repetitur Auid. 14. 8 (ep.) *sint sane diuites, sint locupletes.*

In altero membro una, in altero duae uoces positae sunt, quae inter se respondent: Alex. 9. 5 *uicisti uitia, uicisti crimina dedecora.* V. p. 32 sq..

---

[1] In posteriore aetate saepius *gratulatio* eodem fere sensu atque *gaudium* usurpatur. Cf. Gord. 10. 1 *Sed tanta gratulatione factos contra Maximinum imperatores senatus accepit, ut non solum gesta haec probarent sed etiam uiginti uiros eligerent.* — Max. Balb. 12. 1 *His igitur peractis Balbinus cum summa gratulatione Maximum redeuntem e Rauennati cum exercitu integro et copiis expectabat, si quidem Maximinus ... uictus est.* — Paneg. V. 9. 6 (196. 5) et 10. 1 (196. 7) *Nam sicut agros diuturno ardore sitientes expetitus uotis imber ubertat, ita lacrimae tuae pectora nostra gaudiis inrigabant, ut, quamuis nefas esset te flente laetari, uinceret tamen gratulatio religionem, cum lacrimae illae pietatis essent indices, non doloris.* (c. 10) *Et haec quidem nobis ad summam gratulationem sufficere potuissent, ...* — IV. 37. 1 (185. 18) *Quae tuum, Constantine maxime, mite pectus inundauit gratulatio, cui tanto interuallo uidere filium licuit et uidere uictorem?* — Interdum solitum sensum licet suspicari, quamquam ad illam significationem proxime accedit: Paneg. IV. 30. 5 (180. 3) *Nullus post urbem conditam dies Romano inluxit imperio, cuius tam effusa tamque insignis gratulatio aut fuerit aut esse debuerit.*

Verbum etiam *gratulandi* idem ac *gaudere* ualere ex his locis apparet: Marc. Ant. 26. 7 *diuam etiam Faustinam* (uxorem) *a senatu appellatam*

Deinde hoc affero, Tac. 6. 2 (or.) *nihil ab hoc inmaturum, nihil prae⟨pro⟩perum, nihil asperum formidandum est.* Quod Ott (Neue Jahrbücher 111 (1875) p. 714) proposuit *praeposterum*, hoc multo peius existimo atque etiam e ratione palaeographica *praeproperum*, ut Peter scribit, praeferendum.

In hunc numerum refero etiam Seuer. 22. 5, ubi cum Petero scribendum puto: »*Totum fu⟨d⟩isti, totum uicisti, iam deus esto uictor.*» Lessing autem (Lex. p. 219 a) in comparationem Seuer. 18. 11 uocans, »*Omnia*», *inquid*, »*fui, et nihil expedit*» lectionem codicum *fuisti* retinere uult, quod tamen minus contextui congruit atque symmetriam tollit, cum altero loco *totum* praedicatiuum esset, altero obiectum. Simili errore Pesc. 8. 1 *fuisse* pro *fudisse* scriptum exstat.

Interdum duo synonyma componuntur, quorum posterius uberius explicatur. Quod fit his tribus locis uitae Aureliani: 1. 1 *uehiculo suo me et iudiciali carpento . . . accepit.* — 21. 4 *nisi . . . . monstris quibusdam speciebusque diuinis inpliciti essent barbari, Romana uictoria non fuisset.* — 26. 6 *Denique fatigatus ac pro*[1] *malis fessus litteras ad Zenobiam misit.*

Similitudinem quandam habent ii loci, ubi uox iteratur diligentius definita adiungente particula *et.* Quem usum a Kühnero et Stegmanno (II p. 26) tractatum apud S. H. A. arguit Cotta p. 30 sq. haec exempla proferens: Trig. tyr. 33. 8 *non scribo*

---

gratulatus est. — Heliog. 22. 4 *quae* (dona) *populus tam libenter accepit, ut eum postea imperare gratularentur.* — Tac. 6. 7 (or.) *magis gratulemur, quod habemus principem senem, quam illa iteremus, quae plus quam lacrimanda* (*-do* PB) *tolerantibus extiterunt.* — Paneg. II 25. 3 (111. 14) *Audires enim dicere delatorem:* »*Quid ita ille tristis incedit? an quia pauper ex diuite est? non enim se uiuere gratulatur? . . .*» — V. 3. 1 (189. 26) *fuit amica Massilia: protegi se maiestate* ‹*populi*› *Romani gratulabatur.* — X. 7. 4 (268. 17) *Ecquis* (*Et quis* codd.) *umquam ante uos principes non gratulatus est Gallias illo*[rum] *amne muniri?* — Eandem significationem statuit Baehrens V. 5. 2 (191. 26) *Nihil enim libenter audis, nisi quo*[s] *pro tuis gratuleris.*

Cf. Rönsch, Itala und Vulgata, Marburg 1869, p. 367, Hartel, Patristische Studien IV (Sitzungsberichte der Akad. d. Wiss. zu Wien philos.-hist. Classe, 121: 14 (1890) p. 48), idemque in indice Cyprianeo, C. S. E. L. III: 3 p. 429, Löfstedt Tert. III p. 69 n. 2.

[1] Peter *pro* in *prope* mutauit, sed frustra, cum *pro* sensu causali uel paene causali etiam alibi usurpetur, ut Marc. Ant. 26. 10 *ipsum Cassium pro clementia occidi passus est.* — Gord. 24. 3 *aut interemptos aut liberatos pro libidine atque mercede, quos non decebat.* — Claud. 17. 4 *ne . . . pro necessitate ultimum consilium capiat.*

sed dicto et dicto cum ea festinatione, quam ... et Claud. 15. 2 *dux factus est et dux totius Illyrici*, praeter quae eandem rationem scribendi etiam his locis repperi: Aurel. 14. 3 (or.) *deus faciat et deus certus, ut* ... — Aurel. 19. 4 (or.) *recussasse uero quosdam et cum ingenti calumnia recussasse.* — Tac. 19. 4 (ep.) *gratias exercitui Romano et uere Romano.* — Prob. 21. 4 (tit. sepulcri) *Hic Probus imperator et uere probus situs est*, ubi per ambiguitatem nomen proprium alio sensu praeditum repetitur. — Corrigit se ipse imperator, cum ad milites loquitur, Alex. 53. 10 *continete igitur uocem truculentam* ... *ne uos hodie omnes uno ore atque una uoce Quirites dimittam et incertum an Quirites.*

Non raro uox pluribus uocibus explicatur, quae particula copulatiua cum illa iunguntur. Hadr. 8. 11 *tertium consulatum* ... *non* (P in ras.) *petenti ac sine precatione concessit.* — Auid. 14. 5 *Marcus Antoninus philosophatur et quaerit de elementis et de animis et de honesto et iusto.* — Comm. 9. 6 *debiles pedibus et eos, qui ambulare non possent, in gigantum modum formauit.* — Heliog. 9. 3 *homines* ... *bene uasatos et maioris peculii.* — Alex. 14. 7 *mulier sancta sed auara et auri atque argenti cupida.* — Max. Balb. 17. 7 *cum eos Augustos et principes generis humani uideam, quorum* ... — Gall. 13. 2 *diuque rexit, non muliebriter* (*nulliebriter* P[1]) *neque more femineo.* — Gall. 19. 7 *quae iterari ac saepius dici minus utile uidebatur.* — Trig. tyr. 6. 7 (uerba historici cuiusdam) *sed omnia haec libido et cupiditas mulierariae uoluptatis sic perdidit, ut* .... — Claud. 11. 1 *Palmyreni* ... *contra Aegyptios bellum sumunt atque ab his Aegyptia peruicacia et indefessa pugnandi continuatione uincuntur.* — Aurel. 10. 1 *Friuola haec fortassis cuipiam et nimis leuia esse uideantur.* — Quatt. tyr. 8. 1 (ep.) *Aegyptum* ... *totam didici leuem, pendulam et ad omnia famae momenta uolitantem*[1].

[1] Suetonium quoque hanc ubertatem stili coluisse ex his exemplis apparet: Iul. 75. 1 *medios et neutrius partis*, Aug. 61. 1 *domi et inter suos* (agere). Tib. 43. 2 *per antra et cauas rupes*, Tib. 63. 1 *secreto ac sine testibus*, Tib. 68. 2 *noctu etiam et in tenebris* (uidere). Notiones amplificantur Aug. 40. 3, *magni praeterea existimans sincerum atque ab omni colluuione peregrini ac seruilis sanguinis incorruptum seruare populum*, Cal. 9 (milites) *tumultuantis et in furorem usque praecipites.*

V. etiam Kühner et Gerth II: 2 p. 586.

Huic consuetudini congruit Trig. tyr. 31. 5, ubi membrum posterius additur, quo prius illustretur: *quos* (triginta tyrannos) *ego in unum uolumen idcirco contuli, ne, de singulis* ⟨*si*⟩ *singula quaeque narrarem, nascerentur indigna fastidia et ea, quae ferre lector non posset.* Verba *et ea quae* e. q. s. Damsté (Mnem. 1911 p. 231) secludere uult in margine ascripta et postea in textum recepta ratus.

Restant ea exempla, in quibus parallellismus talis cernitur, ut utrumque membrum e pluribus uocibus constans idem fere significet. Primum hunc locum affero, Marc. Ant. 10. 10 *fastis dies iudiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret.* Hic prius membrum maius est posterius quoque complectens. Aliis locis alterum membrum altero explicatur: Auid. 4 6. *rapi eos iussit et in crucem tolli seruilique supplicio adfici* atque simillimo loco, Opil. 12. 2 *nam et in crucem milites tulit et seruilibus suppliciis semper adfecit.* — Alex. 6. 2 *hoc est in aedem Concordiae templumque inauguratum.* — Auid. 13. 5 (accl.) *uincis inimicos, hostes exsuperas, di te tuentur,* nisi fortasse prior sententia ad tyrannum a M. Aurelio superatum, posterior ad uictorias de hostilibus gentibus partas spectat. Hoc autem loco uoces per chiasmum collocatae sunt. — Maximin. 20. 6 *Balbinus Romae bellis intestinis et domesticis seditionibus urguebatur.* — Gord. 1. 5 *ego, qui longitudinem librorum fugi multitudinemque uerborum,* ubi hyperbaton cernitur. — Etiam Gord. 31. 3 hyperbaton inuenitur: *appellato igitur principe Philippo et Augusto nuncupato.* — Tac. 6. 5 (or.) *dii auertant principes pueros et patres patriae dici inpuberes,* quem locum Klebs in Rhein. Mus. uol. 47 (1892) p. 47 allitterationis causa attendi iubet. — Tac. 19. 5 (ep.) *imperatores damus, principes facimus.* Cf. Max. Balb. 17. 7 (p. 26).

Tria membra componuntur Tac. 19. 1 (ep.), ubi similem pleonasmum inuenias, *nos principes demus, nos faciamus imperatores, nos denique nuncupemus* (*nuncupamus* PB) *Augustos.* Cf. 18. 2 (ep.) *dandi ius imperii, appellandi principis, nuncupandi Augusti ad nos reuertit.* — Aurel. 8.3 (ep.) *nimius est, multus est, grauis est et ad nostra iam non facit tempora,* ubi ad membrum tripertitum epiphora ornatum additur enuntiatum conclusionem indicans.

In posteriore membro particula negatiua uoci praescribitur, quae contraria est uoci in priore membro sitae: Gord. 14. 5 *Lentas*

militum mentes et non alacres animos . . . cognouit. Hoc autem loco particula inter membra omissa est, Prob. 24. 3 *posteri autem aeternitatem uidentur habere, non modum.* Cf. Carus 14. 2 *ioco, non serio Diocletianus dixisse fertur.*

In hoc denique exemplo, Tac. 6. 2 (or.), ubi eadem abundantia, quam locis ante tractatis inesse uidimus, deprehenditur, nihil causae est, cur lectionem traditam deseramus. Legendum igitur est: *omnia seria, cuncta grauia et quasi ipsa res p. iubeat, auguranda sunt.* CORNELISSEN (Mnem. 1883 p. 258), quem PETER sequitur, coniecit *omnia seria cauta grauia.* NOVÁK uero (p. 25) testimonium uetus restituit nonnumquam post *omnia* uarietatis causa *cuncta* adhibitum esse monstrans. Praecedit his uerbis alterum exemplum eiusdem pleonasmi supra prolatum (p. 25)[1].

[1] Hac in consuetudine non ab aliis scriptoribus S. H. A. differunt, quamquam saepissime editores alterum membrum pro glossemate uncis saepserunt. Multos locos apud Panegyricos Latinos uindicauit THÖRNELL (Stud. Paneg. p. 51 sqq.). Cf. W. A. BAEHRENS (Praef. p. 64 sqq.). — V. etiam KOZIOL p. 163 sqq.

Cf. etiam Suet. Cal. 3. 1 *beniuolentiam singularem conciliandaeque hominum gratiae ac promerendi amoris mirum et efficax studium.*

CAP. II.

De uocibus dissolute inter se compositis.

I. De bimembri dissoluto.

Prisci sermonis proprium erat uoces et notiones sine ullo uinculo componere. Hoc genus asyndeton, naturale quod dicitur, semper in usu manens tamen, postquam particulae copulatiuae in usum uocatae sunt, minus frequentabatur. In sermone uero populari atque cottidiano, qui apud Plautum et Terentium atque in Ciceronis epistulis et alibi interdum emergit, hic usus semper uigebat. In publico autem et sollemni sermone, ubi Romani colori uetusto studebant, illud asyndeton, quod sollemne inscribitur, nonnumquam occurrit. Quod a naturali uel uulgari genere non alienum est, cum ab illo originem ducat. Multae huius modi locutiones per tempora remanserunt in formulas certas redactae[1].

In prosa oratione arte structa atque perpolita scriptores asyndeto uelut figura quadam orationis adhibito uenustatem et elegantiam quaerebant. Ciceroni etiam paria uocum dissolute compositarum in deliciis fuisse constat. Postquam uero argentea, quae dicitur, aetas ingressa est, dissolutionem magis amplexi sunt scriptores, quorum in primis Tacitus et bimembre et trimembre dissolutum coluit. Inter hoc autem asyndeton rhetoricum atque illud asyndeton uulgare discrimen difficile est perspicere, cum nonnumquam inter se confusa sint.

Varia autem natura asyndeti est. Et uulgaris quidem asyndeti propria est simplicitas quaedam, tum breuitas, quae praesertim in asyndeto enumeratiuo elucet. In asyndeto autem rhetorico et sollemni breuitate illa acrimoniam atque uehementiam effici uidemus atque simul, ut dixi, uenustatem atque elegantiam[2].

---

[1] Cf. Kühner et Stegmann, II p. 148 sqq., Draeger, II p. 190 sqq. De formulis certis cf. Schmalz p. 685 atque Prevss, cuius liber totus in asyndeti usu sollemni uersatur.

[2] Cf. Prevss p. 6 sqq.

Ancipiti ratione scriptores posteriores uoces componunt, cum et priscis illis formulis particulae copulatiuae inseruntur et asyndeta saepius in litteras asciscuntur, quae cum e sermone cottidiano fluxerunt tum arte rhetorica composita sunt[1]. S. H. A. quoque sicut plerosque scriptores iuncturis dissolutis particulam inseruisse ex his exemplis apparet: Auid. 12. 3 *oro atque obsecro*[2]. — Auid. 12. 8 *liberis et coniugibus*[3]. — Heliog. 10. 3 *dicta et facta*[4]. — Alex. 41. 5 *sursum et deorsum*[5]. — Alex. 55. 2 *fuso denique fugatoque*[6]. — Maximin. 5. 1 *huc atque illuc*[7]. — Gall. 16. 1 *dies ac noctes*[8]. — Prob. 6. 7 *scienti prudentique*[9]. Numquam autem bimembre dissolutum *aurum argentum*[10] inuenitur, saepius uero illae uoces particula copulatiua iunguntur atque etiam in trimembri dissoluto simul adhibentur Auid. 12. 7, *auro argento uestibus*, et Aurel. 33. 2, *argento auro gemmis*, in asyndeto denique enumeratiuo Aurel 26. 9. (Cf. p. 57, 56).

Cum annus nominibus consulum indicatur, quae apud optimos scriptores dissolute praenominibus praemissis iungi solent, haec nomina semper particula copulatiua nectuntur praeterquam uno loco, Comm. 12. 1, infra (p. 38) annotato, ubi praenomina omittuntur.

Aliquot iuncturae per asyndeton sollemne compositae tam arte coaluerunt, ut integrae manerent. Cuius generis sunt *patres conscripti*[11], *Iuppiter optimus maximus*[12]. In eundem numerum referri potest *sartis tectis*[13], quod occurrit Aurel. 35. 3 et Tac. 10. 5.

Magna et uaria copia uocum *ἀσυνδέτως* compositarum apud S. H. A. inuenitur. Et primum quidem ad bimembria dissoluta

---

[1] Quomodo tales formulae allitteratione ornatae distraherentur, docuit Wölfflin (Allitt. Verbind. p. 13 sqq.).

[2] Cf. Prevss p. 95, Wölfflin, Allitt. Verbind. p. 19 sq., Sjögren, De part. cop. p. 69 sq.

[3] Cf. Prevss p. 92.

[4] Cf. Prevss p. 37 sq.

[5] Cf. Prevss p. 29 sq.

[6] Cf. Prevss p. 96 sq., Wölfflin, Allitt. Verbind. p. 60.

[7] Cf. Prevss p. 23 sqq.

[8] Cf. Prevss p. 33 sq.

[9] Cf. Prevss p. 105, Sjögren, De part. cop. p. 73.

[10] Cf. Prevss p. 53, 79.

[11] Cf. Prevss p. 70.

[12] Cf. Prevss p. 106 sq.

[13] Cf. Draeger II p. 191, Kühner et Stegmann II p. 149, Prevss p. 107 sqq.

ueniamus, in quibus adhibendis LESSING (Stud. p. 11), qui aliquot paria adiectiuorum sine particula nexorum uíndicauit, S. H. A. scriptores Afros imitatos esse uult, cum tamen illi hac in re et cum his et cum multis aliis congruant[1]. Praeter LESSINGIVM autem aliquot locos defendit PETSCHENIG (III p. 363), quorum eos segregaui, ubi membra e singulis uocibus constant, alia exempla postea tractaturus (p. 47 sqq.). Indiligentius enim ille uaria genera non distinxit, cum seponenda essent ea exempla, quorum alterum aut utrumque membrum e duabus uel pluribus uocibus constat, atque ubi simul anaphora est.

Praeterea monendum est numquam inueniri uoces binas prorsus diuersas dissolute iunctas. Nam notiones aliquatenus se contingere necesse est, siue idem uel simile aliquid significant siue cognatae sunt siue contrariae. Huius autem generis locutiones raro apud S. H. A. inueni, cum cognatorum hominum aut rerum *ἀσυνδέτως* nexorum plurima exempla sint.

A. Substantiua.

1. Idem fere uel simile significantia.

Alex. 26. 3 *senatores, si fenerarentur, usuras accipere primo uetuit, nisi aliquid muneris causa acciperent; postea tamen iussit, ut semisses acciperent, donum munus tamen sustulit.* Alii textum addubitauerunt. Inter quos CASAVBONVS (p. 164) *donum* delendum uel *munusue* scribendum censuit. Post eum IORDAN et EYSSENHARDT, MOMMSEN, LESSING (Lex. p. 151 a) *donum* damnarunt. Alii ad traditam scripturam redierunt, PETER et ante eum SALMASIVS (in notis p. 205), qui in comparationem uocauit Dig. XXXVIII. 1. 7 *iurare autem debet operas donum munus se praestaturum* atque XXXVIII. 1. 37 *ne quis eorum operas doni muneris aliudue quicquam libertatis causa patrono patronae liberisue eorum . . . dare facere praestare debeto*[2]. Itaque neque *donum* glossema

[1] Cf. KROLL, Rhein. Mus. 52 (1897) p. 585, qui synonyma dissolute iuncta Africitatis illius, quae dicebatur, indicium esse iure negauit.

[2] PREVSS p. 85 e Digestis haec exempla annotat: XXXVIII. 1. 47 *Campanus scribit non debere praetorem pati donum munus operas imponi ei, qui ex fideicomissi causa manumittatur.* — Ibid. 2 37 *quotiens pater eius donum munus operas liberto reuendiderit.* — L. 16. 53 *si donum munus operas redemerit.*

Neque multum dissimile est Ter. Eun. 1057 *quoduis donum praemium a me optato.* Cf. SJÖGREN (De part. cop. p. 19).

esse puto neque asyndeton temere reiciendum censeo. Alio quoque modo SALMASIVS (in textu p. 122) locum interpunxit: *ut* ⟨*in*⟩ (add. ille) *semisses acciperent donum, munus tamen* e. q. s. In hunc autem modum non distinguendum esse opinor, cum hae uoces etiam alibi arte compositae sint. Testimonium igitur uetus uerum esse existimo. Similis locus, ubi tamen de aliis rebus agitur, nescio an illo defendatur, Hadr. 17. 12 *multis ingentia dedit munera, sed nulli maiora quam Hiberorum* (sc. regi), *cui* (*qui* PB) *et elephantum et quinquagenariam cohortem post magnifica dedit dona. cum a Farasmane ipse quoque ingentia munia dona accepisset atque inter haec auratas quoque clamydes, trecentos noxios cum auratis clamydibus in harenam misit ad eius munera deridenda.* Editores et critici uaria conati sunt, quorum CASAUBONVS p. 32 *munera dono* scripsit, SALMASIVS (p. 46) *munia dona* expulit. PETER autem *munia dono* coniecit, quo fieri potest, ut uerum recuperauerit, cum *dono* propter sequens *a* uel propter *dona* in uersu superiore scriptum facile deprauari potuisset, licet mihi non persuaserit. NOVÁK uero (p. 38) *dona* delens *munera* legere uult. Agmen claudit LESSING (Lex. p. 368 a), utrum cum SALMASIO faciat an *munia* tantum eiciat, haesitans. Hanc uero uocem, cum saepius pro *munera* occurrat (cf. NEVE Formenlehre der lateinischen Sprache, Leipzig 1902, I p. 434, 842), retineri posse putauerim. Minus autem ualere arbitror, quod *munera* in proximo, et ante et post hanc enuntiationem, scriptum est. Itaque mihi non persuasum est a lectione codicum *munia dona* recedendum esse.

Alex. 9. 5 (accl.) *uicisti uitia, uicisti crimina dedecora.* PETER *uicisti* etiam ante *dedecora* repetiit, ubi a P^3 additum est. At saepius duo uocabula ad alterum membrum pertinent, cum in altero unum positum sit[1]. Hoc loco iam PETSCHENIG (III p. 363) asyndeton uindi-

[1] Non raro uoces hac ratione comprehenduntur, uelut substantiua Marc. Ant. 18. 5 (p. 13); Trig. tyr. 18. 9 (p. 34); Gall. 9. 1 *alius Postumo fauebat, alius Regiliano, alius Aureolo aut Aemiliano, alius Saturnino*; Trig. tyr. 6. 6 (ex libro historici cuiusdam) *Victorino . . . neminem aestimo praeferendum, non in uirtute Traianum, non Antoninum in clementia, non* ⟨*in*⟩ *grauitate Neruam, non in gubernando aerario Vespasianum, non in censura totius uitae ac seueritate militari Pertinacem uel Seuerum*; Prob. 12. 3, 4 *testes sunt Marmaridae . . . , testes Franci . . . , testes Germani et Alamanni . . . iam uero quid Sarmatas loquor, quid Gothos, quid Parthos ac Persas atque omnem Ponticum tractum?* Tria substantiua in eundem modum componuntur Gord. 5. 5 (cap. V). Sic etiam adiectiua Alex. 66. 2.

cauit, coniecturam, quam ante (I p. 405) proposuit, *crimina dedecor⟨os⟩a* deserens.

Aurel. 9. 6 (ep.) *quare sinceritas tua . . . supra dicto uiro ad*[f]*iciet . . . liquaminis sextarium unum, salis sextarium unum, herbas holerum quantum sat est.* Cum ceterarum rerum modus indicetur, etiam herbarum quantum dari oporteret, praescriptum esse uidetur. Itaque ueri simile est pro *herbas* fuisse *herbarum*, quod cum *holerum* iunctum ad *quantum sat est* referendum est. Claud. 14. 3 (ep.) *huic salarium . . . dabis . . . feni paleae aceti holeris* (*horeris* P^1, ut uid.) *herbarum quantum satis est;* Prob. 4. 6 (ep.) *huic igitur dari iubebis . . . pabuli aceti salis ole⟨r⟩um lignorum quantum sat est.* Accedit, quod *herbarum holerum* iunctura allitteratione praedita est, de qua cf. Wölfflin (Allitt. Verbind. p. 22).

Aurel. 39. 5 *fures prouinciales repetundarum ac peculatus reos ultra militarem modum est persecutus, ut eos ingentibus suppliciis cruciatibus puniret.* Miror Lessingivm (Lex. p. 100 a) Petervm secutum esse, qui lectionem *cruciatibusque* codicis Bambergensis recepit atque in praefatione (p. VIIII n.) hoc argumento usus hunc codicem Palatinae recensioni asyndeton exhibenti praeferendum esse arbitratus est, id quod contra esse nunc omnibus notum est[1].

2. Cognata.

Textum hoc loco Petschenig (III p. 363) tenendum esse censuit, Ant. P. 4. 9 *congiarium militibus populo de proprio dedit et ea, quae pater promiserat.* Peter autem atque Lessing (Lex. p. 347 b) *militibus* uocem expunxerunt, ut uidetur, quod S. H. A. alias numquam *congiarium* nisi populo datum narrant. Cf. p.

Prob. 22. 1 (p. 43), Auid. 12. 7 (p. 18) uerbaque Valer. 6. 3 (p. 45). Similiter comparatum est Opil. 1. 4 *adserens se minima quaeque persequuturum, quasi uel de Traiano aut Pio aut Marco sciendum sit, quotiens processerit, quando cibos uariauerit et quando uestem mutauerit et quos quando promouerit.* Conferas etiam uelim, quod de inaequalibus membris iunctis dicam p. 35 sq.

[1] Claud. 14. 4 (ep.) errore codices laborare manifestum est: *item in cauco scyfo pondo undecim item in caucos et scyfo et zuma pondo undecim.* Patet alterum membrum e dittographia ortum esse. Prius igitur cum Petero secludendum est, posterius autem, cum longius sit, retinendum est *s* littera in fine uocis *caucos* deleta.

9 n. In sermone autem superioris aeui *congiarium* interdum pro dono militibus aliisque dato adhibetur. Cf. Mommsen, Römisches Staatsrecht I, Leipzig 1876, p. 287, et Marquardt, Römische Staatsverwaltung II, Leipzig 1876, p. 132 et n. 6, ubi hic locus profertur.

His quoque locis Petschenig l. l. bimembria dissoluta toleranda esse censuit: Aurel. 12. 2 (ep.) *conuiuium autem publicum edi iubebis senatoribus equitibus Romanis.* Pro *equitibus* tantum *aequit* traditum est. Peter atque Lessing (Lex. p. 169 a) frustra *et* inseruerunt. — Max. Balb. 5. 6 *operam grammatico rhetori non multam dedit*, ubi Peter et Lessing (Lex. p. 226 b) *ac* interponunt. Asyndeton autem eo firmatur, quod haec substantiua etiam alias simul ponuntur, cf. p. 37. — Aurel. 32. 4 *pacatis oriente[m] Gallis atque ubique terrore iniecto Romam iter flexit.* A Petero, cui Lessing (Lex. p. 414 b) adstipulatur, *oriente et Gallis* editur. Mihi uero asyndeton retinendum uidetur neque eo, quod oratio diuerso numero substantiuorum inconcinnior est, molestius fieri. — Trig. tyr. 9. 8 (ep.) *occidendus est, quicum*[1] *male dixit contra me, contra Valeriani filium, contra tot principum patrem fratrem.* Quod uoces *pater frater* dissolute iunctae de eodem uiro dicuntur, non satis est causae, cur *et*, quod a P^3 additum est, Petero auctore recipiatur.

Praeter illa exempla substantiua sensu cognata his locis *ἀσυνδέτως* iunguntur: Aurel. 35. 3, Tac. 10. 5 *sartis tectis* (cf. p. 30). — Comm. 18. 16 (accl.) *Parricidae gladiatoris memoria aboleatur, parricidae gladiatoris statuae detrahantur.* Cf. trimembre dissolutum Comm. 18. 3 (p. 57)[2]. — Propter mendum, quo codices affecti sunt, incertius est Trig. tyr. 18. 9 (ep.): *iam uinum laridum, iam ceterae species in his*[3] *dandae sunt locis, in quibus adfatim redundant.* Est *uinum* coniectura pro tradito *in*, e quo facillime et aptissime efficitur *uinum*, quod et Peter et Lessing (Lex. p. 734 a) recipiunt. Etiam his locis *uinum* atque *laridum* simul commemorantur: Prob. 4. 6 (ep.) *huic igitur dari iubebis ...*

[1] In aetate posteriore interdum pronominibus in syllabam *que* exeuntibus, ut *quisque unusquisque*, *que* detrahitur. De qua consuetudine agunt Schmalz p. 628, Löfstedt (Stud. p. 77 sqq. et Per. Aeth. p. 272), Baehrens (Mnem. 1910 p. 417. sq.), alii. Quinque apud S. H. A. locos indicat Baehrens l. l., praeter hunc Alex. 30. 3 *utrum* (pro *utrumque*), Maximin. 2. 6 *fortissimis quibus*, Trig. tyr. 22. 1 *leuissimis quibus*, Prob. 1. 1 *unius cuius.*

[2] Comm. 18. 5 (accl.) *hostis*, *parricida uere* [se]*uere* singulae uoces pro sententia posita est.

[3] *is* Peter, cf. Lessing (Lex. p. 237 a).

olei per biduum sextarium unum, uini ueteris diurnos. sextarios decem cum larido . . . atque Claud. 14. 3 (ep.) *huic salarium* . . . *dabis* . . . *laridi libras duo milia, uini ueteris sextarios tria milia quingentos, olei* . . .

3. Contraria.

Tac. 16. 6 PETSCHENIG (III p. 363), quod libri exhibent, defendit: *Probus, uir domi foris conspicuus.* PETER *que* addidit, LESSING diuersis modis scripsit, Lex. p. 149 b *domi foris⟨que⟩*, p. 213 b *domi foris* (*foris⟨que⟩* edd.). Forsitan autem aliquis hunc locum ambiguum putet, cum Pesc. 6. 10 eadem uerba per *que* iuncta reperiantur: *uir domi forisque conspicuus*[1]. Ceteris quoque locis, ubi apud S. H. A. hae uoces iunguntur (u. LESSING l. l.), particula additur. Neque Thes. VI. 1042, 66 sq., ubi exempla huius locutionis enumerantur, ullus locus indicatur, ubi asyndeton adhibetur. At non necesse est omnia ad unam normam exigere.

Nonnumquam, cum oratio e duabus pluribusue partibus constat, illae uoces, quae ad alteram partem pertinent, inter se dissolute iungi possunt, cum in altera parte uoces particula copulatiua nectantur. Est enim linguae Latinae proprium eique natura insitum partes periodi uel sententiae ea ratione distribuere atque disponere, ut oratio aut bipertita aut tripertita sit, de quo usu agit NÄGELSBACH p. 701 sqq.[2]. Membrum uero id genus aut ex una uoce uel notione constat aut ipsum in duas uel tres partes diuiditur, ita ut oratio saepe artificiose composita atque exstructa sit. Cum membro autem e duabus tribusue partibus constante potest singula uox uel notio iungi ea lege, ut haec toti illi membro exaequetur. In illud genus referendi sunt hi loci, ubi singula et bina nomina componuntur: Aurel. 42. 4 *sed in his optimi ipse Augustus, Flauius Vespasianus Flauius Titus, Cocceius Nerua, diuus Traianus diuus Hadrianus, Pius et Marcus Antonini, Seuerus Afer, Alexander Mammaeae, diuus Claudius et diuus Aurelianus.*

[1] Parum accurate PETSCHENIG l. l. addit Aurel. 24. 1 *intus ciuibus, foris militibus se ostendit*, ubi membra inter se opponuntur.

[2] Eandem rem tetigerunt WÖLFFLIN (Arch. XI p. 32 sq.) et NORDEN, Min. Fel., p. 31 sqq. de membris bipertitis disputans, p. 35 sqq. de tricolis, p. 53 sqq. de tetracolis, ubi hoc monet »tetracoli rationem eam fuisse, ut, cum quaternis constaret membris, eorum bina et priora et posteriora siue significationis siue soni siue utriusque uinculis plerumque coniugarentur«.

Perperam Cotta p. 30 hunc locum inter eos enumerat, ubi contra morem optimorum scriptorum extrema membra per *et* coniuncta sunt. — Quatt. tyr. 1. 4 *dictis Aureliano, Tacito et Floriano, Probo etiam.* — Eadem ratione adiectiua digeruntur Carac. 2. 1 (p. 43) et uerba Alex. 10. 8 et Tac. 6. 8 (p. 45). — Cf. etiam p. 32 n.

Apud S. H. A. his locis par substantiuorum dissolute iunctorum particula copulatiua cum aliis substantiuis componitur: Marc. Ant. 4. 9 *amauit pugilatum luctamina et cursum et aucupatus.* — Heliog. 26. 4 *adhibuit in tali contione postea lenones* (*leones* P[1]B[1]) *exsoletos undique collectos et luxuriosissimos puerulos et iuuenes.* Patet utroque loco substantiua *pugilatum* et *luctamina*, *lenones* et *exsoletos* artius inter se connexa esse, quam cum illis, quibuscum copulantur. — Eandem loquendi rationem agnoscimus Maximin. 15. 4 *denique ubique amici et administratores et duces tribuni et milites Maximini interfecti sunt.* Peter textum ita, ut traditus est, reliquit, Lessing autem (Lex. p. 676 b) *et* inseruit. At saepius haec substantiua nectuntur: Seuer. 18. 9, in trimembri dissoluto (p. 58), Pesc. 3. 12, Alex. 52. 3 et 4, Maximin. 15. 6, Gord. 28. 4, Valer. 6. 7, Aurel. 10. 2 atque simillimo loco, Maximin. 7. 1 *gaudentibus cunctis ubique tribunis ducibus et militibus.* Propterea asyndeton seruandum esse opinor.

Trig. tyr. 24. 5 bina nomina uariis modis nectuntur, et dissolute et per *atque* et per *et* particulas: *conrectorem totius Italiae fecit, id est Campaniae Samni, Lucaniae Brittiorum, Apuliae Calabriae, Etruriae atque Vmbriae, Piceni et Flaminiae omnisque annonariae regionis.*

Cf. tria paria nominum propriorum Seuer. 21. 2 (p. 38).

Neque abest suspicio, quin Alex. 31. 1, quod libri historicum scripsisse testantur, recte se habeat: *Postmeridianas horas subscriptioni et lectioni epistularum semper dedit, ita ut ab epistulis libellis et a memoria semper adsisterent.* Cotta (p. 19) locum intactum reliquit, Peter autem ⟨*a*⟩ *libellis* legi iussit in similitudinem huius loci, Hadr. 22. 8 *ab epistulis et ab libellis primus equites Romanos habuit.* At, cum haec officia cognata sint atque inter se minus differant quam eadem et *a memoria*, praepositionem ante *libellis* e praecedenti notione audiri posse existimo. Plane autem compar exemplum mihi non praesto est, aliquid tamen similitudinis ei loci habent, ubi ante unum e multis membris, quibuscum praepositiones iunctae sunt, praepositio omittitur. Cf. Baehrens, Philol. Suppl. XII (1912) p. 313 sqq., atque hi loci,

Alex. 8. 1 (or.) *Gratias uobis . . . et de Caesareano nomine et de uita seruata et Augusti nomine addito et de pontificatu maximo et de tribunicia potestate et proconsulari imperio.* — Trig. tyr. 14. 4 *Alexandrum Magnum Macedonem uiri in anulis et argento, mulieres et in reticulis et dextrocheriis et in anulis et in omni ornamentorum genere exculptum semper habuerunt*[1]. — Alio loco (Mnem. 1910 p. 395 sqq.) Baehrens de praepositione ad prius membrum e posteriore animo supplenda disputauit. Quod si fieri potest, illo loco, e quo digressus sum, multo facilius praepositione iterum posita careri potest.

Tetracolon in duo paria substantiuorum diuiditur (cf. p. 35 n. 2)[2]: Heliog. 11. 1 *Fecit libertos praesides legatos, consules duces*; nescio an etiam Prob. 9. 4 *pontes templa, porticus basilicas labore militum struxit.* Post posterius par substantiuorum notio generalis additur: Hadr. 17. 2 *his*[3], *quos ad militiam ipse per se uocauit, equos mulos, uestes sumptus et omnem ornatum semper exhibuit,* cf. p. 6, uel aliud quintum substantiuum: Heliog. 31. 6 *causa uehiculorum erat lenonum lenarum, meretricum exsoletorum, subactorum etiam bene uas⟨a⟩torum multitudo*; Alex. 41. 7 *nam auiaria instituerat pauonum fasianorum, gallinaceorum anatum, perdicum etiam.*

Alex. 44. 4 ita distinguendum esse uidetur, ut duae priores uoces atque duae extremae coniugentur: *Rhetoribus grammaticis, medicis, haruspicibus mathematicis, mechanicis architectis salaria instituit.* Plerumque enim rhetores et grammatici simul commemorantur, cf. Max. Balb. 5. 6 (p. 34), Hadr. 16. 8 (p. 59), Hadr. 16. 10 *grammaticos rhetores, musicos geometras pictores astrologos habuit.* Etiam mediae tres uoces simul occurrunt Quatt. tyr. 7. 4, *sunt enim Aegyptii . . . uersificatores epigrammatarii, mathematici haruspices, medici,* ubi priora duo substantiua comparata sunt.

---

[1] Cf. etiam Heliog. 26. 3 (p. 7).

Propter hos locos praepositiones iniuria in textum intrusas existimauerim Alex. 3. 4 *sed in Latinis non multum profecit, ut ex eiusdem orationibus apparet, qua‹s in› senatu habuit, uel* c o n t i o n i b u s (*e contionibus* Peter), *quas apud militem uel apud populum,* atque Heliog. 26. 5 *et cum ad meretrices muliebri ornatu processisset papilla eiecta,* e x s o l e t o s (*ad exsoletos* Peter) *habitu puerorum, qui prostituuntur, post contionem pronuntiauit his quasi militibus ternos aureos donatiuum*; quos locos Baehrens Philol. Suppl. XII (1912) p. 333 uindicauit.

[2] V. etiam Wölfflin (Arch. XI. 31 sq.), Norden (Min. Fel. 56 sq.).

[3] *is* Peter, cf. Lessing (Lex. p. 237 a).

Aurel. 26. 9 (ep.) membrum tripertitum, una uox, bimembre dissolutum componuntur: *gemmas aurum argentum, sericum, equos camelos in Romanum aerarium conferatis.*

Ver. 2. 10 duae notiones speciales dissolute inter se compositae atque notio generalis nectuntur: *amauit uenatus palaestras et omnia exercitia iuuentutis* itemque Gall. 11. 6 *⟨o⟩ratione poemate atque omnibus artibus clarus* et Trig. tyr. 15. 7 *perferens calorem pluuias et omnia mala, quae* . . . (Cf. p. 6.) Eadem ratio est Quatt. tyr. 7. 5, ubi ad bimembre dissolutum enuntiatio relatiua additur, quo plenius natura Aegyptiorum, de quibus agitur, demonstretur: *nam sunt* (? *nam eis* PB) *Christiani Samaritae et quibus praesentia semper tempora cum enormi libertate displiceant.*

Iam denique illud relinquitur, ut ad nomina propria bina apud S. H. A. ἀσυνδέτως composita gradum proferamus, quorum exempla commoditatis causa seorsum collegi. Et primum quidem obseruandus est hic locus, Comm. 12. 1, ubi consulum nomina dissolute iunguntur, ut annus indicetur, praenominibus contra morem optimorum scriptorum omissis (cf. Kühner et Stegmann, II p. 150): *adsumptus est in omnia collegia sacerdotalia sacerdos XIII kl. Inuictas Pisone* (*et* add. P[2]) *Iuliano consulibus.* Cf. p. 30.

Deinde hoc loco nomina dissolute connexa putauerim, Quatt. tyr. 1. 1 *nam et Suetonius Tranquillus, emendatissimus et candidissimus scriptor, Antoni*[n]*um Vindicem tacuit,* ubi Peter *que* uoculam addidit. Huic uero loco alii praesidio sunt, ubi in serie nominum artius duo dissolute inter se componuntur: Hadr. 4. 2 *qua quidem tempestate utebatur Hadrianus amicitia Sosi Papi et Platori Nepotis ex senatorio ordine, ex equestri autem Attiani, tutoris quondam sui, et Liuiani Turbonis.* Ante postremum nomen Peter *et* inseruit, quod quamquam facile excidere potuit, tamen superuacaneum arbitror. (E Prosopographia imperii Romani, I 384 et II 339, extremis duobus nominibus duos uiros designari manifestum est.) — Seuer. 21. 2 *iam uero quid de Homero Demosthene, Vergilio Crispo et Terentio Plauto ceterisque aliis loquar?* Peter *et* expellens orationi, cui particula optime quadrat, uim intulit. In tria enim membra nomina distribuuntur. Primum duorum Graecorum, tum duorum Romanorum, poetae atque oratoris, mentio fit, denique comici illi Romani commemorantur, quos separatim addi neque mirum neque offensioni est. Cf. paria nominum propriorum aliis locis composita, Aurel. 42. 4 (p. 35); Alex.

62. 3 *cum diceret ipsum Alexandrum . . . Pompeium Caesarem, Demosthenem Tullium et ceteros insignes uiros*; Prob. 2. 7 *Marium Maximum Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum Gargilium Martialem* [,Iulium Capitolinum Aelium Lampridium] (seclus. Peter) *ceterosque* (imitari).

Utrum Alex. 29. 2, *animas sanctiores, in quis Apollonium et, quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum Abraham et Orfeum et huius⟨cemodi⟩ ceteros habebat*, scriptor Iudaeos illos artius coniungi uoluerit an omnes tres religionis uel superstitionis auctores aequa lege simul contulerit, diiudicari non potest. Prior autem sententia mihi magis placet.

De Ver. 2. 5 *Telephum atque Hefaestionem Harpocrationem* et simillimis locis Pesc. 12. 1, Trig. tyr. 8. 1 quod infra dicturus sum (p. 52 sq.), quaeso, uideas.

Trig. tyr. 10. 8 gens atque rex ἀσυνδέτως iunguntur: *gentis Daciae, Decibali ipsius, ut fertur, adfinis*, ubi dissolutio ascensu subleuatur[1].

[1] Nomina propria dissolute iuncta praeter consulum nomina annum indicantium etiam apud optimos scriptores, licet exempla rara sint, inueniuntur (cf. Kühner et Stegmann II p. 150). Iam apud priscos scriptores hic usus occurrit et quidem, ut Sjögren ostendit (De part. cop. p. 26, cf. etiam n.), bis apud Plautum, ut Hache (p. 56), semel apud Ennium, in fragmento a Lactantio exhibito, Euhem. X. 120 (p. 227 Vahlen): *sic constituta sunt templa Ioui Atabu*rio, *Ioui Labryandio: Ataburus enim et Labryandus hospites eius atque adiutores in bello fuerunt; item Ioui Laprio Ioui Molioni Ioui Casio et quae sunt in eundem modum*, ubi tamen anaphora asyndeton subleuatur. — Idem Hache hoc exemplum profert e Catonis de agricultura libro (83) *Marti Siluano . . . in capita singula boum uotum facito.* — Neque a scriptoribus argenteae quae dicitur aetatis hic usus alienus est. Exempla e libris Taciti, Plinii epistulis, Senecae de beneficiis libris nominum propriorum ἀσυνδέτως iunctorum collegit Kienzle (p. 77) nullo tamen inter uaria genera, asyndeton aduersatiuum, asyndeton simul cum anaphora adhibitum, asyndeton duorum pluriumue membrorum, aliud genus asyndeton discrimine habito. Melius Draeger (Über Syntax und Stil des Tacitus p. 51) locos secreuit, ubi bimembre dissolutum reperitur. Nonnulla tamen exempla addi possunt: Nomina consulum in nominatiuo posita, ut iam apud scriptores melioris aetatis (cf. Kühner et Stegmann l. l.), dissolute nectuntur: Ann. VI. 40 (193. 1) *Quintus Plautius Sex. Papinius consules sequuntur* et VI. 45 (196. 6) *supremi Tiberio consules, Cn. Acerronius C. Pontius, magistratum occepere.* Duos praeterea locos Draeger, ubi nomina cum attributis non iuncta componuntur, indicauit, Ann. VI. 15 (179. 10) atque XI. 6 (203. 1), et Sjögren l. l. exemplum, in quo nomina pluralia connectuntur, Ann. XI. 30 (216. 25) *is ueniam in praeteritum petens, quod ei Vettios Plautios dissimulauisset.* Addo

B. Adiectiua.

1. Idem uel simile significantia.

Lessing (Stud. p. 11) haec bimembria dissoluta uindicat: Heliog. 2. 4 *uirtutes ueterum tuis moribus congruentes et tibi amicas caras*, ut etiam Peter scripsit. — Trig. tyr. 9. 3 *Gallienus, ut erat nequam perditus.* (*nequa* P¹B¹, *nequam et* P³, quod Peter recepit, sed frustra.) — Alex. 33. 3 et Peter et Lessing scripserunt: *milites . . . non pretiosis sed speciosis claris uestibus ornabat.* E. W(ölfflin) autem (Arch. VI p. 303) uoces *pretiosis* atque *speciosis* similiter desinere monens *claris* deleuit, Frankfvrter (Wiener Stud. 13 (1891) p. 250) *clarisue uestibus* excogitauit, utrumque tamen praeter necessitatem, ut uidetur.

---

hos locos: Ann. XII. 2 (222. 19) *haudquaquam nouercalibus odiis uisura Britannicum Octauiam.* — XIII. 55 (287. 8) *mox Tiberio Germanico ducibus stipendia meruisse.* — Hist. II, 95 (99. 20 sq.) *magna et misera ciuitas eodem anno Othonem Vitellium passa inter Vinios Fabios, Icelos Asiaticos uaria et pudenda sorte agebat.* — IV. 42 (175. 31) *quomodo senes nostri Marcellum Crispum, iuuenes Regulum imitentur.* — Neque uideo, cur Ann. XI. 33 (218. 10) a tradito textu recedendum sit, *ac ne . . . ad paenitentiam a L. Vitellio P. Largo Caecina mutaretur, in eodem gestamine sedem poscit*, ubi Andresen cum Nipperdeyo scripsit *L. Vitellio et Largo Caecina.* — Nomina pluralia etiam his locis iunguntur, ubi copulatiua particula notio generalis annectitur: Hist. II. 95 (99. 14) *libertus Vitellii Asiaticus Polyclitos Patrobios et uetera odiorum nomina aequabat* atque Ann. XV. 14 (333. 6) *tum Paetus Lucullos Pompeios et si qua Caesares optinendae donandaeue Armeniae egerant* (memorat); deinde illo loco, Hist. II. 95 (99. 21), qui supra exscriptus est. — Nomina gentium coniunguntur Ann. XIII. 56 (287. 29) *illi Bructeros Tencteros, ulteriores etiam nationes socias bello uocabant.* — Hist. I. 50 (27. 11) duo paria nominum uario modo composita animaduertas uelim: *Pharsaliam* (*pars aliam* cod.) *Philippos et Perusiam ac Mutinam, nota publicarum cladium nomina.* — Exempla binorum nominum propriorum cum attributo iunctorum septem indicat Draeger l. l. Praeter illa haec annotaui: Ann. VI. 18 (181. 4) *cuius maritum Argolicum, socerum Laconem, e primoribus Achaeorum, Caesar adflixerat.* — Ann. XI. 17 (209. 2) *uirtutem experirentur, an dignum se patruo Arminio, auo Actumero praeberet.* — In comparationem uocandus est locus, ubi nomina legionis et ducis componuntur, Hist. IV. 70 (193. 4) *atque interim unaetuicensima legio Vindonissa, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Raetiam inrupere.* — Nomina legionum iuncta sunt Hist. III. 7 (106. 22) *legiones septima Galbiana, tertia decima Gemina cum Vedio Aquila*

Est, ubi uerendum sit, ne alterum adiectiuum glossema alterius sit. Sic Max. Balb. 5. 1 comparatum est, ubi hoc traditur: *Maximo pater fuit Maximus, unus e plebe, ut nonnulli dicunt, faber ferrarius, ut alii, raedarius uehicularius fabricator.* Cornelissen (Mnem. 1883 p. 255) *uehicularius fabricator* expunxit, cui Lessing (Lex. p. 541 a) obtemperare uidetur, quamquam alio loco, p. 709. cum Petero facit traditam scripturam seruante. *Raedarius* autem ut uocabulum inusitatum est, ita, cum *raeda* uox non ignota sit, facile intelligitur neque interpretatione indiget. Pleonasmus autem hic non multo durior est quam ille, qui aliis locis inuenitur: Marc. Ant. 13. 3 *tanta autem pestilentia fuit, ut uehiculis cadauera sint exportata serracisque*; Aurel. 1. 1 *uehiculo suo me et iudiciali carpento praef. urbis . . . accepit,* quo loco

legato Patauium alacres ueniunt. Postremo hunc locum obseruandum esse censeo, ubi pronomina personalia dissolute iunguntur: Ann. XVI. 31 (381. 3) "*nullos*", *inquit,* "*impios deos, nullas deuotiones, nec aliud infelicibus precibus inuocaui, quam ut hunc optimum patrem tu, Caesar, uos, patres, seruaretis incolumem.*"

In Senecae de beneficiis libro V. 16. 6 Kienzle hunc locum indicat, ubi nominibus gentium efficitur bimembre dissolutum, ad quod membrum summatiuum additur: *quae Achaeis Rhodiis plerisque urbibus claris ius integrum . . . reliquerat, . . .*

Apud Plinium Secundum hos locos separatim proferre debuit Kienzle: Ep. VI. 6. 3 *ad audiendos . . . Quintilianum Niceten Sacerdoten uentitabat*; IX. 13. 15 *Dicunt contra Auidius Quietus Cornutus Tertullus.* — In eiusdem Panegyrico hunc locum inueni, ubi nomina fluminum componuntur, 63. 4 (p. 59. 20) *O praua et inscia uerae maiestatis ambitio . . . sic ab illis abesse, tamquam Danubio Rheno dirimare!* Cum autem sic tantum in cod. Upsaliensi scriptum sit, nescio an Baehrens recte e cod. Harleiano receperit *Rhenoque.*

Apud ceteros Panegyricos Latinos Baehrens ex superuacuo hunc locum correxit, VI. 22. 6 (219. 11) *nec magis Ioui Iunoni recubantibus nouos flores terra summisit quam circa tua, Constantine, uestigia urbes et templa consurgunt,* ubi *que* addidit; neque Eumenio asyndeton abiudicandum est IX. 7. 3 (252. 25): *aedem Herculis Musarum, in circo Flaminio fecit,* ad quos locos Persson, praeceptor meus, in seminario philologico a. 1920 animum attendi iussit. — Conferri potest locus, ubi nomen proprium atque aliud substantiuum connectuntur, IV. 25. 4 (175. 12) *Aderat quidem Ruricius, experientissimus belli et tyrannicorum ducum columen, per tota admodum moenia magna uis hominum.*

Eundem usum scribendi etiam apud iuris consultos inueniri ostendit Kalb (Roms Juristen, Leipzig 1890 p. 55 sqq.), qui multa id genus exempla Iauoleno Prisco ascripsit.

membrum explicatiuum additum est. *Fabricator* uero si retinetur, substantiuum cum adiectiuo pro genetiuo iungitur, more apud S. H. A. non incognito[1].

Etiam hoc loco, Quatt. tyr. 8. 10 (ep.) *Calices tibi allassontes uersicolores transmisi*, cum PETERO secundum testimonium uetus legendum putauerim, quod alii aspernati sunt: IORDAN et EYSSENHARDT *id est uers.* scribunt, PVRSER autem (Hermath. 1908 p. 30) *siue* inter adiectiua elapsum opinatur, LESSINGIO denique (Lex. p. 720 b) *uersicolores* "fort. delendum" uidetur. *Allassontes* autem inusitatissima uox est (in Thes. hic solus locus indicatur). Quare non mirum est scriptorem ipsum uel illum, qui has litteras misit, hoc uocabulum altero explanasse. Accedit, quod etiam alias Graeca et Latina simul ponuntur. Conferatur enim hic locus: Aurel. 6. 4 *adeo ut etiam ballistia pueri et saltatiunculas . . . saltitarent* (u. p. 15). — Pert. 13. 5 uox Graeca relatiua sententia addita explicatur: *male Pertinacem loquebantur, christologum eum appellantes, qui bene loqueretur et male faceret.* — Cf. etiam Alex. 52. 2, ubi idem Graeco uerbo *ἀναίματον* (*anematum* PB) *imperium* dicitur, quod Alex. 25. 1 Latino *imperium incruentum*[2].

[1] Cf. e. g. Heliog. 12. 2 *claustrarium artificem.*

[2] Etiam alibi Graecum uocabulum Latino explanatur, quod uiri docti nonnumquam pro glossemate acceperunt. Hunc locum euoluas uelim, Auid. 3. 7 *nec ille timuit, sed per ordinem paraeneseos, hoc est praeceptionum, per triduum disputauit.* Verba interposita induxerunt CASAVBONVS IORDAN et EYSSENHARDT PETSCHENIG (I p. 389) PETER NOVÁK (p. 37) LESSING (Lex. p. 463 a) neque tamen mihi persuaserunt. Videtur enim inusitatissimum illud *paraenesis* explanationem requirere, neque a consuetudine horum scriptorum hic usus discrepat. Quod in diuerso numero *paraeneseos* atque *praeceptionum* posita sunt, scripturae traditae suffragatur. Neque enim est, cur cum CASAVBONO *paraeneseon* substituatur. Etiam aliis locis, quos critici infestarunt, uereor ne non recte manum interpolatricem suspicati sint. Certe PETSCHENIG l. l. longius progressus esse uidetur. Cf. Max. Balb. 8. 6 *multi dicunt apud ueteres hanc deuotionem contra hostes factam, ut ciuium sanguine litato specie pugnarum se Nemesis* (*nemescis* PB[1]), *id est uis quaedam Fortunae, satiaret*, ut et PETER et LESSING (Lex. p. 215a) legunt. Neque illi eidem hoc loco adstipulati sunt (cf. LESSING, Lex. p. 331a): Gall. 11. 3 *Gallienus apud Athenas archon erat, id est summus magistratus.* Etiam Alex. 15. 3 iudicium PETSCHENIGII (I p. 390) deseruerunt (cf. LESSING, Lex. p. 15 b et 705 a): *iure iurando deinde se constrinxit, ne quem adscriptum, id est uacantiuum* (*uagantiuum* PB), *haberet.* Simili autem loco, Trig. tyr. 18. 11 *gaudens, quod eius consilio nullum adscripticium, id est uacantem, haberet et tribunum nullum stipatorem, qui non uere aliquid ageret, nullum militem, qui non uere pugnaret,* PETSCHENIG (I p. 390) CORNELISSENIO duce sic textum nouauit: *nullum adscrip-*

2. Cognata.

Petschenig (III p. 363) hunc locum uindicauit, Trig. tyr. 29. 1 *Occupatis partibus Gallicanis Orientalibus*, ut etiam Peter scripsit. — Eodem pacto adiectiua iunguntur Carus 20. 6: *donati birri Canusini Afri[n]cani, opes in scaena non prius uisae.*

3. Contraria.

Petschenig l. l. asyndeton defendit Carus 5. 4 *Hic igitur per ciuiles militares gradus . . . praef. praet. a Probo factus*, ubi Peter et Lessing (Lex. p. 350 a) frustra *et* particulam inserunt.

4. Diuersa.

Hadr. 25. 9 (uersus) *Animula uagula blandula hospes comesque corporis.* — Petschenig l. l. textum seruari iussit Did. Iul. 3. 5, *inde se ad Palatium recepit uxore ac filia illuc uocatis, trepidis inuitis eo transeuntibus, quasi iam imminens exitium praesagirent.* Peter autem ante adiectiuum posterius mendi notam posuit, Lessing uero (Lex. p. 290 b) omnia recte se habere sibi persuasit. Equidem huic consentiens et sententiam sine ulla difficultate perspicuam esse ratus adiectiua non tam alterum ab altero aliena puto, ut non dissolute componi possint.

Cum plura adiectiua simul ponuntur, interdum duo artius inter se iunguntur. Carac. 2. 1 *restrictior grauior, uultu etiam truculentior factus est.* Cf. p. 35 sq. — Deinde ad hunc locum animum aduertamus, Alex. 66. 2 *at tamen amicos sanctos et uenerabiles habuit, non malitiosos, non furaces factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos crudeles, non circumuentores sui, non inrisores . . . .* Addidit Peter cum P[3] *non* ante *factiosos* et *crudeles.* Quod additamentum licet leue sit, non tamen necessarium uidetur, quoniam saepius uno membro duo uocabula comprehenduntur, cum in aliis membris cum hoc iunctis una uox sit. Cf. p. 32 et n. — Etiam Prob. 22. 1 nescio an hoc uerum sit: *omnibus prope Romanis ducibus, qua fortes clementes, qua prudentes, qua mirabiles exticium haberet tribunum, nullum stipatorem, qui* e. q. s. His se adiunxit Lessing Lex. p. 15 b, qui tamen p. 705 a illam sententiam deseruit codicum memoriam reuocans. Me quidem iudice illa explanatio non superuacat. Quae etiam ad orationem concinnam efficiendam ualet, cum haec uerba enuntiatis relatiuis, quae sequuntur, respondeant. Petero quoque testimonium uetus probatur.

titerunt, intellego hunc uirum aut parem fuisse aut . . . meliorem. Sic Iordan atque Eyssenhardt scripserunt. Cotta uero p. 34 n. *qui — qui — qui* legere maluit. Peter autem, quocum facit Lessing (Lex. p. 522 a), *qua* etiam ante *clementes* legit, neque tamen mihi persuasit. Pro primo autem *qua* est *quasi* traditum, quod facile errore ortum puto, cum illa particula apud S. H. A. tam rara sit, ut bis tantum reperiatur.

Cf. etiam Helius 5. 2 *minus tamen reprehendendus ac memor familiae suae, comptus decorus, pulchritudinis regiae, oris uenerandi . . . .*

Alex. 64. 1 an asyndeton disiunctiuum statuendum sit, dubito: *Hactenus imperium p. R. eum principem habuit, qui diutius imperaret, post eum certatim inruentibus et aliis semestribus* (*sementribus* P[1]B), *annuis, plerisque per biennium, ad summum per triennium imperantibus.* Ante *annuis* Peter cum P[3] alterum *aliis* inseruit. At ne cui, quod alterum colum ab *aliis* incipit, alterum a *plerisque*, scrupulos iniciat, conferat Carus 8.2 *alii — plures*, Trig. tyr. 18. 2 sq. *alii — multi;* Maximin. 8. 5 *alii — alii — alii — nonnulli — multi;* Auid. 3. 4 *nonnumquam — aliquando, saepe — alias.*

Plerumque adiectiuorum paria connectuntur (cf. Norden, Min. Fel. p. 53). Id genus exempla haec annotaui: Comm. 1. 7 *nam a prima statim pueritia turpis inprobus, crudelis libidinosus, ore quoque pollutus et constupratus fuit.* — Alb. 10. 1 . . . *ut eum dicat turpem malitiosum, inprobum inhonestum, cupidum luxuriosum* (*luxoriosum* PB)[1]. — Heliog. 8. 4 *simul quod ex luxuriosissimo extitisse uir fortissimus optimus, grauissimus seuerissimus diceretur.* — Alex. 66. 2 (Alexander Seuerus amicos habuit) *sanctos uenerabiles, continentes religiosos, amantes principis sui et qui . . .* — Gord. 31. 4 *Fuit iuuenis laetus pulcher, amabilis gratus omnibus.* — Gall. 15. 1 *imperatorem sibi* (militibus) *utilem necessarium, fortem efficacem ad inuidiam faciendam.* Cf. Alex. 15. 3 *homines non necessarios nec rei p. utiles.* — Trig. tyr. 9. 3 *sed Gallienus, ut erat nequam perditus* (cf. p. 41), *ita etiam . . . uelox fortis, uehemens crudelis.*

Denique ad Hadr. 14. 11 ueniamus, ubi hoc traditur: *idem seuerus laetus, comis grauis, lasciuus cunctator, tenax liberalis, simulator, saeuus clemens et semper in omnibus uarius.* Viri

[1] *luxoriosus* in cod. P exstat etiam Opil. 9. 5, Heliog. 8. 4 (Peter), Alex. 6. 5, Trig. tyr. 8. 13, *luxoria* Trig. tyr. 9. 1, 17. 3, Carus. 1. 4, 17. 7.

docti Reimar Peter Lessing (Lex. p. 617 a), cum paene per totam hanc enumerationem singulae uoces singulis responderent, etiam *simulator* peculiare uocabulum, cui opponeretur, requirere rati post hoc interposuerunt *simplex*, quod feliciter inuentum uidetur. Bene Klotz (Berl. Phil. Woch. 1911, 832) hanc uocem ante *simulator* ponere maluit, ut et illa atque *clemens* et *simulator* atque *saeuus* inter se responderent. Etiam praecedentia adiectiua eodem pacto per chiasmum collocata esse uidentur. Cornelissenio autem (Mnem. 1883 p. 247) *festinus* (pro *lasciuus*) *cunctator* conicienti assentiendum non est. Eadem ratione contraria componuntur Auid. 3. 4.

C. Verba.

1. Idem fere significantia.

Tac. 6. 8 (or.), ubi priora uerba artius colligantur, ad quae copulatiua particula tertium additur (cf. p. 35 sq.), *teque, Tacite Auguste, conuenio petens obsecrans ac libere pro communi patria legibus* (cf. p. 50) *deposcens, ne* . . . . Hoc loco iam Petschenig. l. l. asyndeton animaduertit. Ad synonyma illa composita cf. Auid. 12. 3 *oro atque obsecro* (p. 21, 30).

Hunc quoque locum in medium profero, quamquam propter rasuram, qua optimus ille Palatinus codex laborat, non dinosci potest, quae uera forma fuerit, Heliog. 24. 6 *quae saxa . . . nuper eruta et exsecta sunt.* Sic nunc uulgatur. Deest autem particula in cod. P, ubi in hunc modum scriptum est: *eru* ‖ *te* ‖‖ *exsecta.*

2. Cognata.

Petschenig l. l. asyndeton defendit Alex. 16. 2, *dato tamen spatio ad disquirendum cogitandum*, ubi non est, cur cum Petero *que* uocula adiciatur. — Alex. 10. 8 (accl.) *uiuas ualeas, multis annis imperes.* Cf. p. 35 sq. *Viuere ualere* uulgata est iunctura, cf. Wölfflin Allitt. Verbind. p. 92, Prevss p. 98.

3. Diuersa.

Comm. 20. 3 (accl.) *parricida sepultus eruatur trahatur.* Codices littera *s* errore iterata *seruatur* scriptum habent. — Valer. 6. 3 (or.) *tu censibus modum pones, tu uectigalia firmabis diuides, tu res publicas recensebis.* Cf. p. 32 et n. — Pert. 1. 2 non a codicum scriptura discedendum est: *in tegulas ascendit atque ibi breuiter commoratus decidit exspirauit.* Peter atque Lessing (Lex. p. 192 a) *et*, quod a librario facile omitti potuisse non nego, inseruerunt, sed praeter necessitatem, cum asyndeton inci-

tatiori orationi apte concinat. — Heliog. 1. 3 per *etiam* tertium membrum additur: *hi uero* (imperatores) *interfecti tracti, tyranni etiam appellati.*

D. Pronominalia.

Nolim silentio illum locum praeterire, ubi inter pronominalia *tot* et *talis*, quae alias uoculis copulatiuis necti solent (cf. Lessing, Lex. p. 671 a), particula omittitur, Marc. Ant. 22. 4 (uerba principis) »*Aequius est, ut ego tot talium amicorum consilium sequar, quam ut tot tales amici meam unius uoluntatem sequantur.*» Peter atque Lessing, cum hoc loco textus ueterem formam retinuerint, tamen alio loco inter has uoces particulam sine iusta causa interponunt: Prob. 10. 1 *Cum igitur his tot* (*ac* add. illi) *tantis uirtutibus eniteret*, . . . De particula inter tales uoces adhibenda atque omittenda agunt Draeger (Syntax II p. 12 sq.) ac Sjögren (De part. cop. p. 57).

E. Numeralia.

Maximin. 12. 6 (cf. cap. V).

F. Aduerbia.

1. Cognata.

Petschenig l. l. uindicauit Hadr. 12. 4 *ceteris prudenter caute consuluit*, ut etiam Lessing (Lex. p. 62 a) legit. Peter autem *et* interposuit, Brakman in libro, qui inscribitur Annaeana noua, Velleiana, ad Scriptores historiae Augustae, ad Panegyricos Latinos, Leyden 1910[1], *que* particulam addidit, id quod Klotz (Berl. phil. Woch. 1911, 839) »beachtenswert» iudicauit. Mihi uero asyndeton minime durum uidetur. Cf. exemplum alterum a Petschenigio annotatum, Quatt. tyr. 13. 1 *Hic tamen cum . . . se inprobe libidinose, tamen fortiter gereret . . . in imperium uocitatus est*, ut etiam Peter scripsit.

2. Contraria.

Recte Petschenig l. l. bimembre dissolutum tutatus est Alex. 3. 5, *singula quaeque, quae publice* (*publicae* PB) *priuatim agebat*, ubi Peter *et* inculcauit[2].

---

[1] Haec disputatio in manus meas non uenit.

[2] Copiose de tota ratione asyndeti disputat Norden in programmate Gryphiswaldensi, quod inscribitur De Minucii Felicis aetate et genere dicendi p. 29 sqq.

Restant loci, ubi bina membra dissolute iunguntur, quorum aut alterum aut utrumque e pluribus quam una uoce constat. Hoc genus exemplum indicauit Petschenig l. l. Did. Iul. 3. 3, *im-*

De bimembribus dissolutis a Plauto et Terentio adhibitis agit Sjögren (De part. cop.) et de Ciceronis usu in epistulis idem (Comm. Tull. p. 87 sq. et Erani uol. XVI p. 32 sqq., uol. XIX p. 124). De Gellii Catonis Varronis usu asyndeti cf. Hache p. 25 sq.; de postremi scriptoris etiam Krvmbiegel, p. 25. De Sallustii asyndetis bimembribus agit Wölfflin (Arch. XI, p. 27 sqq.), de Taciti autem scribendi genere, apud quem asyndeta frequenter adhibentur, u. Draeger (Über Syntax und Stil des Tacitus p. 51 sqq.).

Locos aliquot Tertullianeos enumerauit Thörnell (Tert. II p. 19 sq.). Praeterea exempla e Boethio sumpta collegit Engelbrecht (Sitzungsberichte der k. Akademie der Wissenschaften in Wien, philos.-hist. Classe 1901, uol. 144 p. 24), e Minucio Felici Norden l. l. p. 34 et Wölfflin (Arch. VII p. 478), e Lact. Mort. pers. Stangl (Rhein. Mus. 1915 p. 451). V. etiam eiusdem Pseudoasc. p. 26 et W. Kalb Das Juristenlatein. Diss. Erlangen 1887 p. 25 sq. In indicibus exempla indicant apud Commodianum Dombart (C. S. E. L. XV p. 199), apud Luciferum Calaritanum Hartel (C. S. E. L XIV p. 354), apud Ennodium idem (C. S. E. L. VI p. 645).

Suetonius non raro asyndeton in usum aduocat. In libris de uita Caesarum ab hoc historico conscriptis his locis bimembre disolutum solitae formae occurrit: Aug. 71. 4 (in litteris a principe scriptis) locutio trita: *par impar ludere* (cf. Prevss p. 48). — Dom. 2. 3 testimonium plurium codicum sequitur Prevss, p. 32, asyndeton statuens: *neque cessauit ex eo insidias struere fratri clam palam*, ubi Ihm simili loco nisus, Iul. 80. 1 *clam palamque*, sine causa *que* inseruit. — Cal. 19. 2 peruulgatum illud *ultro citro* legitur. — Galb. 15. 2 duo paria substantiuorum, quorum posteriora attributo praedita sunt, nectuntur: *uectigalia immunitates, poenas innocentium impunitates noxiorum*. Omnibus his locis notiones contrariae iunguntur. Accedunt uerba Neronis de se facta c. 49. 3 *uiuo deformiter turpiter*. Sunt etiam loci, ubi asyndeton incertius sit, cum codices uarias lectiones exhibeant, uelut Claud. 45, ubi asyndeton mihi uindicandum uidetur: *quem honorem a Nerone destitutum abolitum recepit mox per Vespasianum*, ut in Mδ codicibus et libris stirpis X scriptum est, cum Ihm aliunde receperit *abolitumque*. — Oth. 8. 1 in codicibus MV et libris classis X scriptum est: *auctor senatui fuit mittendae legationis, quae . . . quietem concordiam suaderet*, cum GTδ *concordiamque* habeant, quod Ihmio placuit, Υ autem stirpis codices atque uulg. *et concordiam*. — Galb. 9. 1 codices solius stirpis X *et* omittunt, ubi Ihm melius, ut uidetur, alios secutus scripsit *acer et uehemens*. — Ner. 9 contra optimos codices particulam immisit Ihm: *Claudium apparatissimo funere elatum laudauit <et> consecrauit*. Cum haec uerba diuersa sint neque asyndeton cum consuetudine Suetonii concinat, particula mihi necessaria uidetur.

Panegyricos non raro asyndeton adhibuisse iam ostendit Thörnell (Stud. Paneg. p. 57 n. 1). Praeter ea exempla, quae ille e Plinii panegyrico elegit, his quoque locis bimembre dissolutum inueni: 2. 3 (p. 2. 10) *et ex ipso genere*

perator est appellatus et tribuniciam potestatem, ius proconsulare in patricias familias relatus emeruit, ubi chiasmus inuenitur, qui tamen insignis non est, cum attributa solito more

gratiarum agendarum intellegatur, cui quando sint [h]*act<a>e*, deinde 12. 2 (p. 12. 4) bis, 20. 6 (18. 15) *uelint nolint* (cf. VII. 1. 1, p. 220. 17, *uelis nolis*), 21. 4 (19. 4), 26. 3 (23. 9), 34. 5 (30. 16), 48. 3 (42. 30), 62. 7 (58. 18), 70. 4 (66. 10), 86. 4 (81. 25) *uotis lacrimis*, ubi tamen in schidis R littera notatis, quae alia uia quam ceteri codices a Plinii manu originem ducunt, *et* particula inserta est. Cum autem illa substantiua paene contraria sint, asyndeton ut lectionem difficiliorem praeferri oportet. His omnibus locis Baehrens· testimonium codicum Upsaliensis et Harleiani sequitur atque item 86. 2 (81. 11) *O rem memoriae litterisque mandandam*, ubi in R *que* deest. Asyndeton, quamquam inter has notiones cognatas non a consuetudine sermonis abhorret, tamen contra auctoritatem codicum A et H non uindicandum est. Clausula etiam *litterisque* commendat. Ab his tamen codicibus recedit Baehrens 39. 1 (34. 26), ubi pro tradito *auus auia*, quod, cum hae notiones inter se propinquae sint, mihi seruandum esse uidetur, scripsit *auus <et> auia*, atque 76. 9 (72. 21), ubi hoc traditur: *Ipsius quidem officium tam modicum temperatum, ut antiquus aliquis magnusque consul sub bono principe incedere uideretur.* Quo loco haud scio an asyndeton inter uocabula idem fere significantia retineri possit, quamquam *tam*, quod a Baehrensio ante *temperatum* additur, facile elabi potuit atque anaphora commendatur. — Duo paria bimembrium dissolutorum componuntur 4. 4 (4. 17), 24. 3 (21. 13), 26. 7 (23. 25), tria 44. 8 (39. 16).

Apud ceteros Panegyricos pauciora exempla esse dicit Thörnell l. l. duos certos locos indicans IV. 4. 3 (160. 15) *permixte simul* et VII. 1. 1 (220. 17) *uelis nolis*. Praeterea est, ubi dubitauerit, an dissolutio seruanda esset. Nonnumquam enim, ubi duae uoces idem uel simile significantes ἀσυνδέτως iunctae simul adhibitae sunt, uiri docti alteram pro glossemate damnarunt, ille autem utramque uindicauit. De tali loco IV. 21. 2 (172. 21) *ui manu* disputans particulam copulatiuam omitti posse putat. »Nam fieri potest», inquit, »ut ipse orator asyndeto illo usus scripserit *perspecto probato* (IX. 17. 3, p. 259. 15), *recondite alte* (IV. 13. 1, p. 166. 19), *opulentiam abundantiam* (III. 14. 2, p. 141. 23).» Hic sibi non constare Baehrens uidetur uno tantum loco asyndeton seruandum ratus, *ui manu* (cf. Praef. p. 59), ceteris particulam addendam censens *perspecto <et> probato, opulentiam abundantiam<que>* uel uocem eiciendam, *recondite* [alte]. Sero *alte* in textum irrepsisse etiam Klotz (Berl. Phil. Woch. 1911, 48) arbitratus est. Equidem traditas lectiones ueras esse existimo cum propter naturam locorum tum propter alia nonnulla exempla huius rationis scribendi. Et Baehrens interdum asyndeton statuit: II. 36. 1 (120. 23), ubi ter dissolutio inuenitur, *Miles urguere eminus cominus, gladiis hastis punctim caesim ferire*. Inuerso ordine *hastis gladiis* reperimus XII. 5. 6 (294. 6). — VI. 19. 6 (216. 24) *interualla pinnarum uncis manibus inuaserant*. — IV. 17. 3 (170. 10) autem nunc *et* particulam recepit, quamquam olim (Praef. p. 59) asyndeton defendit: *cum ui uirtute uelut ianuam belli refregisses*, ubi *uie uirtute* traditum est. Cf. Wölfflin (Allitt. Verbind. p. 91), qui nonnulla exempla huius iuncturae protulit, nullum tamen,

collocata sint. Etiam his locis chiasmus reperitur: Marc. Ant. 1. 8 *habuit et sororem natu minorem Anniam Cornificiam, uxorem Anniam Faustinam, consobrinam suam.* — Marc. Ant. 19. 11 *Antonino . . . non obfuit gladiator filius, uxor infamis.* — Aurel.

ubi asyndeton esset. Similia autem exempla protulit Sjögren e Plauto. *ui uiolentia* (De part. cop. p. 11) et *ui pugnando* (p. 15). Cf. etiam Prevss p. 71. — Praeterea bimembre dissolutum inueni II. 39. 4 (123. 22): *Castoras geminos . . . puluerem cruorem Thessalicum aquis Tiberis abluentes*, ubi Baehrens *que* addidit. Neque tamen uoces tam diuersae sunt, ut non per asyndeton iungi possint, neque attributum *Thessalicum* ei obstare puto. — III. 24. 6 (150. 17) *nego quempiam . . . plus dilectum, quam tu, imperator, non modo a comitibus tribunis tuis sed a legionibus cunctis . . . diligaris.* Particula *et*, quam Baehrens hic inseruit, facile intercidere potuit, uerum, an non necessaria sit, dubito. — Etiam his locis particulam recte additam mihi non persuasum habeo: V. 6. 5 (193. 6) traditum est (solum) *in uoragine stagna conuersum.* Sub quo mihi latere uidetur *in uoragines stagna*, non, quod nunc uulgatur, *in uoragines et stagna.* Facilius enim excidere potuit sola *s* littera ante *stagna* quam et illa et uocula *et*, neque hae notiones altera ab altera tam alienae sunt, ut timendum sit, ne asyndeton uim sermoni afferat. — Deinde ad hunc locum animum attendamus, V. 7. 4 (194. 6) *qui, cum scires itinerum regionum nostrarum aditum atque adspectum tam foedum tamque asperum, tamen illo deflectere . . . dignatus es.* Eiecit e textu Baehrens *itinerum*, quod tamen nescio an retineri possit, cum pleonasmus ille *itinerum aditum* mihi ferri posse uideatur neque, quo modo illud uocabulum irrepserit, apertum sit.

In illis exemplis notiones cognatae iunguntur. Est etiam, ubi uoces idem fere ac simile significantes dissolute componantur, Baehrens autem frustra textum mutauerit. II. 42. 3 (126. 15) *Nisi uero tu tuum . . . carnificem . . . obsidebas et irata minax* (*ac minax* Baehrens) *umbra ob os eius oculosque . . . taedas . . . quatiebas*, ubi mihi asyndeton cum sollemni natura huius loci concinere uidetur. — Item III. 18. 6 (145. 8) *magno erecto animo* mihi magis placet quam coniectura illius *magno erectoque*, ac IX. 15. 5 (258. 4) codicum optimorum scripturam *mouerer adducerer* retinere malim quam cum eodem *mouerer ac ducerer* scribere. In apparatu tamen critico, an asyndeton tolerandum esset, haesitauit. — Etiam XII. 11. 2 (298. 20) *corripi eos uincirique iussisti . . ., ne conscientia timore diffugerent*, in codicum memoria potius manendum esse crediderim, quam *conscientiae timore*, ut a Baehrensio editur, scribendum. — II. 15. 1 (102. 8) denique, quem locum Thörnell mecum communicauit, monitum uelim forsitan in codicibus recte sic scriptum esse . . . *qui quam faciles tibi fuissent sequaces discipuli tam ceteris expetendi essent magistri* (*sequacesque* Baehrens). *Sequax* enim pro substantiuo usurpatum idem fere ac *discipulus* ualet. Facile tamen hanc uocem pro glossemate irrepsisse non negauerim.

Duo bimembria dissoluta componuntur II. 36. 1 (120. 21), III. 21. 5 (147. 27), VII. 4. 2 (223. 14), XI. 6. 1 (279. 21). XI. 11. 3 (284. 17), XII. 19. 4 (304. 26).

De nominibus propriis dissolute iunctis cf. p. 80 atque n.

15. 4 ... *cum darentur tunicae subsericae, lineae paragaudae, darentur etiam equi*[1]. — Paulo durius est Maximin. 13. 1 *Fuerunt et alia sub eo bella, plurima proelia*, ubi *ac* particula a PETERO ante *proelia* inserta est. Alii alio modo locum mutarunt, PETSCHENIG (I p. 406) *sub ea belua* supposuit, LESSING autem (Lex. p. 3 a) *proelia* delendum esse censuit. At non est, cur non particula copulatiua inter *bella* et *plurima proelia* abesse possit. *Bella* autem solitum sensum habere puto, non idem ac *proelia* ualere[2].

Per epiphoram attributa adduntur Gord. 4. 5 *equos Siculos centum, Cappadoces centum;* per anaphoram Max. Balb. 11. 5, ubi PETSCHENIG (III. p. 363) asyndeton statuit, *centum sues, centum oues mactantur.* Anaphora autem etiam multis aliis locis exstat, quos hic commemorare supersedeo.

Fit etiam, ut tantum cum altero substantiuo attributum iungatur: Tac. 6. 8 *libere pro communi patria, legibus deposcens, ne* ..., qui locus a PETSCHENIGIO l. l. inter alia exempla bimembris dissoluti nullo discrimine habito receptus est. Inutiliter PETER *et* uoculam addidit. — Similiter se habet Aurel. 34. 3 *incedebat etiam Zenobia, ornata gemmis, catenis aureis, quas alii sustentabant* (*aliis ostentabant* PB).

Eadem inconcinnitas in adiectiuis inter se componendis admittitur Maximin. 3. 6, ubi iam LESSING (Stud. p. 11) atque PETSCHENIG l. l. asyndeton notarunt et PETER textum retinet: *hinc igitur factus conspicuus, inter milites clarus, amari a tribunis, a conmilitonibus suspici* e. q. s. DAMSTÉ autem (Mnem. 1911 p. 185 sq.) *conspicuus* ⟨*inter multos*⟩, *inter milites clarus* scribendo locum prorsus deprauauit.

Nonnumquam substantiuum uel aliud uocabulum dissolute cum altero iungitur, quod ab illo per hyperbaton uerbo utriusque membri communi separatur[3]. Euoluas, quaeso, hos locos: Max.

[1] Simile exemplum e Ciceronis epistulis profert SJÖGREN (in Erani uol. XVI p. 33), ad Att. V. 18. 1 *Nobis enim hac infirmitate exercitus, inopia sociorum ... certissimum subsidium est hiems.*

[2] Haec significatio etiam apud S. H. A. occurrit, cf. Maximin. 20. 6, Max. Balb. 9. 2, Trig. tyr. 6. 2.

[3] Simile apud Suetonium exemplum inueni, Tib. 17. 1 *quas ob res triumphus ei decretus est, multi et magni honores*, ubi IHM post *multi que* addidit, frustra tamen, mea quidem sententia. Asyndeton enim et locis aliunde sumptis et hoc ex eodem Suetonio defenditur, Iul. 35. 2 *dehinc Scipionem ac Iubam reliquias partium in Africa refouentis deuicit, Pompeii liberos in Hispania.*

Balb. 2. 3 (or.) *ceruices suas quisque respiciat, uxorem ac liberos cogitet, auitas patriasque fortunas.* Damsté (Mnem. 1911 p. 191) *et* post *cogitet* haplographia omissum putat. Quae particula minime requiritur. — Alex. 55. 2 *fuso denique fugatoque tanto rege, qui cum septingentis clefantis falcatisque mille et octingentis curribus ad bellum uenerat, equitum multis milibus, statim Antiochiam redit.* Petschenig (III p. 352) ⟨*et*⟩ *equitum* coniecit, cui non assentior, cum hic locus minimum ab illis, quos ante attuli, differat.

Heliog. 20. 1 *Senatum nonnumquam ita contempsit, ut mancipia togata appellaret, p. R. unius fundi cultorem, [s]equestrem ordinem in nullo loco habens.* Hic parum diligenter componuntur *p. R.* et obiectum sententiae consecutiuae, i. e. *senatum*, quod e sententia primaria auditur. Hae autem notiones quod inter se contrariae sunt, asyndeton leuius fit.

Pluribus uerbis membra separantur Aurel. 12. 2 (ep.) *conuiuium autem edi iubebis senatoribus equitibus* (cf. p. 34) *Romanis, hostias maiores duas, minores quattuor.*

Neque in offensione est locus, ubi tria membra nectuntur, quorum primum uerbo intermisso praecedit[1]: Alb. 10. 8 (ep.) *huic salarium duplex decreui, uestem militarem simplicem, sed loci sui, stipendium quadruplum.* Cf. de hoc loco cap. IX. — Alex. 30. 5 per *deinde* tertium membrum additur: *egressus balneas multum lactis et panis sumebat, oua, deinde mulsum.*

Infinitiui uel accusatiui cum infinitiuis his locis iunguntur: Did. Iul. 5. 9 *ipse autem Iulianus praetorianos in campum deduci iubet, muniri turres.* Hoc loco, quem Lessing (Lex. p. 180 a) inter locos corruptos uel dubios recipit, non est, cur Petschenigio (I p. 381) duce *et* inculcetur. Praesidio enim sunt et exempla iam prolata et haec: Maximin. 4. 1 *Bibisse autem illum saepe in die uini Capitolinam amforam constat, comedisse et quadraginta libras carnis, ut autem Cordus dicit, etiam sexaginta. Et*, quod post *comedisse* legitur, ut sequens *etiam* »sogar» ualet. Dissolutio eo subleuatur, quod infinitiui inter se oppositi sunt. — Tac. 3. 4 *nam limitem Transrenanum Germani rupisse dicuntur, occupasse urbes ualidas nobiles diuites et*

[1] Löfstedt (Per. Aeth. p. 306) huius modi exemplum e Mulomedicina Chironis, c. 211 (p. 63. 32 Od.), protulit, *quibus contingit ex nimia tensione stercoris aquam per os refundere, cibum, stercus,* hunc usum asyndeti uulgaris sermonis proprium dicens.

potentes. Quo loco asyndeton propter intentionem minus durum est.[1]

Etiam Gall. 19. 4 duo membra dissolute iunguntur: *nam multi eum Gallienum, multi Saloninum historiae prodiderunt . . . fuit denique hactenus statua in pede montis Romulei, . . . quae haberet inscriptum »Gallieno iuniori« »Salonino«* (*solonino* P[1]B) *additum. ex quo eius nomen intellegi poterit.* Participia quodam modo inter se opposita sunt.

His exemplis adminiculo usus etiam hoc loco traditam lectionem reuocare ausim, Carac. 8. 2 *Papinianum amicissimum fuisse imperatori Seuero, ut aliqui loquuntur, adfinem etiam per secundam uxorem, memoriae traditur.* Hic *et*, quod a manu secunda codicis Palatini ante *ut* additum est atque a Petero quoque inseritur, quamquam facile ante similem syllabam intercidere potuit, tamen abundat, cum non inauditus ille mos sit, ut sententia, quae parentheseos loco habetur, ante uerba, ad quae pertinet, collocetur. Atque propter *etiam* in posteriore membro positum dissolutio minus dura est.

II. De particula copulatiua inter alia membra adhibita, inter alia omissa.

Nonnumquam uoces ita copulantur, ut inter priores particula copulatiua adhibeatur, postrema autem ἀσυνδέτως annectatur. Cuius generis locus est, quem supra (p. 51) attuli, Alex. 55. 2, eo autem a ceteris, quae proferam, exemplis differens, quod uerba aliquot inter membra priora atque postremum interposita sunt. Praeterea hos locos annotaui:

[1] Asyndeton non statuendum uidetur Gord. 30. 8: *uerum cum secum ipse cogitaret amore*[m] *populi R. et senatus circa Gordianum et totius Africae ac Syriae totiusque orbis Romani, cum et nobilis esset et nepos ac filius imperatorum et bellis grauibus totam rem p. liberasset, posse fieri, ut flexa quandocumque militum uoluntate Gordiano redderetur imperium, . . .* Non enim ueri simile est *amorem* atque *posse fieri, ut* cet., quae tam diuersa tamque longe inter se remota sunt, dissolute copulata esse. Hoc autem exemplum propter coniecturam Damstei attuli, qui (Mnem. 1911 p. 191) *et* post *liberasset* inseruit. Leuiore tamen mutatione Petschenig (I p. 408) *amorem* in *amore* correxit, quod etiam a Petero editur.

Ver. 2. 5 *audiuit Scaurinum grammaticum Latinum . . . Graecos Telephum atque Hefaestionem, Harpocrationem* (*talephum atque fertionem a*|*p*|*ocationem* P[1], *t. a. f. arpocrationem* P[2]B). Quo loco PETSCHENIG (III p. 363) asyndeton defendit. Huic simillimus est alter, Trig. tyr. 8. 1 *Victorino et Lolliano Postumo interemptis*, ubi PETER sine iusta causa *et* ante *Postumo* collocauit. Nescio an similiter Pesc. 12. 1 comparatum sit, ubi hoc a PETERO editur: *maxime tamen in* (om. P[1]B) *historiis Marium et Camillum et Quinctium* (i. e. Cincinnatum, *Quintum* PB) ⟨*et*⟩ *Marcium Coriolanum dilexit.* In *Quintum* facile librarius, quem particula omissa offendit, *Quinctium* corrumpere potuit. Coriolano autem, illi fabulis antiquis celebrato uiro, praenomen fuit *Gnaeo*, non *Quinto*.

Alia quoque substantiua hoc modo iunguntur[1]: Heliog. 20. 5 *comedit . . . calcanea camelorum et cristas uiuis gallinaceis demptas, linguas pauonum et lusciniarum, quod qui ederet a pestilentia tutus diceretur.* — Alex. 27. 5 *Facundiae Graecae magis quam Latinae nec uersu inuenustus et ad musicam pronus, matheseos peritus et ita quidem, ut . . . .* — Trig. tyr. 15. 2 *cum uxore Zenobia et filio maiore, cui erat nomen Herodes, minoribus Herenniano et Timolao* (*et a timolao* P) *collecto exercitu contra Persas profectus est.* — Trig. tyr. 15. 7 *qui a prima aetate capiendis leonibus et pardis* (in P *d* in ras.), *ursis ceterisque siluestribus animalibus sudorem officii uirilis inpendit.* Aequa lege inter se tria illa genera ferarum componuntur, quae quarto membro addita *que* particula augentur. Etiam Comm. 17. 3 hoc pacto compositum est: *Fuit forma quidem corporis iusta, uultu insubido, ut ebriosi solent, et sermone incondito, capillo semper fucato et auri[i]ramentis inluminato, adurens comam et barbam timore tonsoris.*

Max. Balb. 7. 1 eundem in modum adiectiuum et duo substantiua componuntur: *Balbinus nobilissimus et iterum consul, rector prouinciarum infinitarum. Nobilissimus* respicit ad id, quod de socio imperii dicitur 5. 1: *Maximo pater fuit Maximus, unus e plebe*[2].

[1] Lapsu typographico in PETERI editione *et* omittitur Alex. 49. 2.

[2] Hunc usum scribendi a Plauto et Terentio adhibitum docet SJÖGREN (De part. cop. p. 138 sq.) itemque a Cicerone in epistulis (in Erani uol. XIII p. 128, ubi in comparationem uocat Hor. Sat. II. 3. 85 sqq.). Pari ratione orationem a scriptoribus aetatis posterioris componi ostendit LÖFSTEDT (Per. Aeth. p. 306)

Cum hac consuetudine concinit, quod particula disiunctiua ante membrum extremum omittitur Pesc. 11. 5: (uerba imperatoris) *Scribe laudes Marii uel Annibalis, cuius ducis optimi uita functi.* Scripserunt IORDAN et EYSSENHARDT ⟨*uel*⟩ *alius ducis*, PETER ⟨*uel*⟩ *cuius⟨uis⟩*, PETSCHENIG autem (I p. 382), quem LESSING (Lex. p. 709 b) sequitur, asyndeto retento tantum *cuius* in *cuiusuis* mutari opus esse existimauit. At hanc quoque correctionem superuacaneam duco. Ut enim PERSSON, praeceptor meus optimus, in seminario philologico monuit, cum saepe tum hoc loco notio *alius* e contextu uerborum audiri potest (cf. p. 2 n.). *Quis* autem nonnumquam apud S. H. A. aliosque posteriores contra leges bonorum scriptorum ponitur[1]. Itaque mihi persuasi hunc locum recte traditum esse.

Et a PETERO ante postremum membrum in textum intrusum prorsus abundat Alex. 41. 3 *fullones et uestitores et pistores et pincernae, omnes castrenses ministri*, ubi asyndeton summatiuum est[2].

Ut LÖFSTEDT (Tert. III p. 33) ostendit, etiam alia ratione, cum membra pleraque componuntur, particula in alio membro ponitur, in alio omittitur. Apud. S. H. A. autem hos locos ani-

---

exemplum indicans in Mulomedicina Chironis, c. 547 (177. 22 Od.), *aqua frigida renes et cerebrum, testiculos perfomentato.* Nuper copiosius idem de hac consuetudine egit (Tert. III p. 29 sqq.). Interdum duae notiones artius inter se cohaerent. Velut in exemplis ab eo in Arnobianis p. 81 prolatis uoces extremae, quae dissolute nexae sunt, propius coniunctae sunt. Cf. etiam PREVSS (p. 97) ad Liu. II. 31. 1 *fundit fugatque exuit castris* (*exuitq.* M sed *q.* expuncto), ubi *fundit fugatque* quasi unam notionem efficit.

Eiusdem generis exempla etiam apud Tacitum reperiuntur. Cf. Hist. III. 43 (125. 30) *Fabius Valens cum quattuor speculatoribus et tribus amicis, totidem centurionibus ad naues regreditur*; Ann. XV. 10 (331. 9) *expediri tamen itineri singula milia ex tribus legionibus et alarios octingentos, parem numerum e cohortibus iussit*, quibus locis priora membra artius inter se componuntur. — Hist. I. 51 (27. 27) *exercitus . . . expeditionem et aciem, praemia quam stipendia malebat.* Postremum membrum, ad quod solum *stipendia* pertinet, asyndeto separatur. Cf. etiam Suet. Claud. 30 *nam et prolixo nec exili corpore erat et specie canitieque pulchra, opimis ceruicibus.*

[1] Cf. Marc. Ant. 10. 6, Heliog. 14. 1, Maximin. 8. 4, Aurel. 6. 4, 9. 2, BONNET p. 303, BAEHRENS in Glottae uol. V. p. 83 sq.

[2] Cf. KÜHNER et STEGMANN II p. 154, DRAEGER (Über Syntax und Stil des Tacitus p. 53).

maduertas uelim: Marc. Ant. 22. 1 *Gentes omnes . . . conspirauerant, ut Marcomanni, Varistae, Hermunduri et Quadi, Sueui, Sarmatae, Lacringes et Burei † hi aliique cum Victualis . . .* Sequuntur septem alia nomina gentium in nominatiuo posita, omnia dissolute iuncta. Cf. Tac. Germ. 42 *Iuxta Hermunduros Naristi ac deinde Marcomani et Quadi agunt.* — Heliog. 29. 3 *Habuit et hanc consuetudinem, ut octo caluos rogaret ad cenam et item octo luscos et item octo podagrosos, octo surdos, octo nigros, octo longos et octo pingues.* — Gord. 2. 2 *patre auo proauo consulibus, socero, prosocero et item alio prosocero et duobus absoceris consulibus.* — Gord. 28. 2 *ciuitas . . ., quae totius anni in aceto, frumento et larido atque hordeo et paleis condita non haberet.* — Quatt. tyr. 1. 4 . . . *cum dicendi essent Carus, Carinus et Numerianus, de Saturnino, Bonoso et Proculo et Firmo, qui sub Aureliano fuerant, non taceremus.* — Carus 16. 2 *decretis sibi Galliis atque Italia*[e], *Illyrico, Hispani⟨i⟩s ac Brittanni⟨i⟩s et Africa.* Kellerbaver (Neue Jahrbücher 115 (1877), p. 648) pro tradito *italiae* substituit *Italia et*, quod utrum uerum sit necne incertum est.

Propter hos locos adducor, ut Gord. 4. 6 recte particulam addi credam, ubi a P[1] hoc scriptum exstat: *in omnibus ciuitatibus Campaniae ętruria et Vmbriae, flaminae* (i. e. *Flaminiae*), *Piceni*, a P[2] autem *etruriae et* scriptum est. A Petero uero *Etruriae, Vmbriae* uulgatur, contra quem *et* reuocandum esse existimo, cum facilius a librario in fine uocis *Etruriae* potuerit *e* omitti quam *t* immitti[1].

Similem rationem esse, ubi uoces disiunguntur, non offendere debet. Quare traditam scripturam tenendam esse puto Heliog. 8. 3, ubi hoc nunc uulgatur: *Cum con⟨su⟩latum inisset, in populum non nummos uel argenteos uel aureos ⟨uel⟩ bellaria uel minuta animalia sed boues op*[t]*imos et camelos et asinos et seruos populo dirip⟨i⟩endos abiecit.* Cum *b* et *u* litterae saepe inter se confundantur, potuit quidem *uel*, quod etiam a Lessingio (Lex. p. 711 a) interponitur, per haplographiam ante *bellaria* excidere. At tamen illam particulam addi non necesse est. Locus enim in tria membra, *nummos bellaria animalia,* distribuitur, quorum primum in duas partes diuiditur; tantum ante extremum mem-

[1] Cur *et* addendum sit Tac. 11. 4, non uideo. Recte hoc traditur: *fabricarum peritissimus fuit, marmorum cupidus, nitoris senatorii, uenationum studiosus.* Tamen Pvrser (Hermath. 1908 p. 14) *et* ante *nitoris* inculcauit.

brum *uel* ponitur, ut his locis, Seuer. 3. 5 *concinentibus prouinciis lyra uoce uel tibia* (*tibio* PB); Alex. 46. 4 (dabat) *bona punitorum sed numquam cum auro, argento uel gemmis.* Itaque scribendum opinor: *non nummos, uel argenteos uel aureos, bellaria uel minuta animalia.*

III. De trimembri dissoluto.

Trimembre dissolutum ut ab aliis scriptoribus[1] sic etiam a S. H. A. frequentatur. Formula autem ex optima aetate cognita uno loco occurrit, Tac. 18. 2 (ep.) *Quod bonum faustum felix salutareque sit rei p. orbique Romano,* ubi ad priora tria adiectiua artius inter se iuncta quartum eadem fere significatione additur. In simili uero locutione *que* adicitur: Tac. 4. 4 (accl.) *quod bonum faustum salutareque sit*[2]. Nonnumquam autem ut in his exemplis uoces abundanter componuntur, cum aut omnes aut duae uoces idem fere ualeant. Ex S. H. A. hos locos annotaui:

A. Substantiua.

1. Synonyma.

Ver. 2. 9 *omnibus deliciis ludis iocis decenter aptissimus.* — Gord. 6. 1 *oculis ore fronte uerendus.*

2. Cetera.

Hadr. 14. 9 *arithmeticae geometriae picturae peritissimus.* — Hadr. 21. 5 *Fuerunt eius temporibus fames pestilentia terrae motus.* — Marc. Ant. 3. 5 *sepulchra eorum aditu hostiis*

[1] De Plauti oratione tripertita agit Leo in Analectis Plautinis III, progr. Gottingae 1906, de Plauti atque Terentii usu membri tripertiti dissoluti cf. Sjögren (De part. cop. p. 133 sqq.). — Taciti consuetudinem ostendit Draeger (Über Syntax und Stil des Tacitus p. 51, 52). — Apud Suetonium rara exempla inueniuntur, frequentia apud Panegyricos, uelut II. 7. 4 (95. 21) nomina propria, I. 26. 6 (23. 20) *fouet auget amplectitur,* IV. 7. 4 (163. 1) *perpendit librat examinat,* VI. 16. 3 (213. 26) *ratio litterae uitae quies* (cf. Thörnell, Stud. Paneg. p. 22), IX. 20 3 (261. 26) *situs spatia interualla,* XII. 24. 3 (308. 19) *bellorum armorum hostium.* — Cf. etiam Norden, Min. Fel. p. 47 sqq., Wölfflin, Arch. XI p. 31, Kühner et Stegmann II p. 153.

[2] De adiectiuis huius significationis inter se compositis cf. Wölfflin, Allitt. Verbind. p. 36, 55.

floribus semper honoraret. — Marc. Ant. 26. 3 *apud Aegyptios ciuem se egit et philosophum in omnibus stadiis* (*studiis* PB) *templis locis.* Postremum uocabulum priora complectitur. — Auid. 12. 7 (or.) *auro argento uestibus fruantur.* Simillimum est Aurel. 33. 2, *argento auro gemmmis operosus atque distinctus.* Cf. Auid. 9. 2 . . . *ita ut filias eius auro, argento et gemmis cohonestaret*; Alex. 46. 4 (u. p. 56); Aurel. 26. 9 *gemmas aurum argentum sericum equos camelos.* — Comm. 18. 3 (accl.) *hostis patriae parricida gladiator in spoliario lanietur.* Cf. bimembre dissolutum Comm. 18. 16 (p. 34). — Pesc. 3. 6 *numquam sub eo miles prouinciali lignum oleum operam extorsit.* De illa iunctura, quae est *oleum opera*, cf. Wölfflin (Allitt. Verbind. p. 72). — Carac. 11. 5 *patris matris fratris inimicus.* — Get. 5. 8 (prandia per singulas litteras iussit) *uelut in quo erat anser apruna anas, item pullus perdix pauus, porcellus piscis perna et quae in eam litteram genera edulium caderent, et item fasianus farrata ficus et talia.* Nescio an etiam series ferculorum, quorum nomina a *p* littera incipiunt, in duo membra tripertita distinguenda sit. — Diad. 7. 4 . . . *ut scirent omnes Antoninos pluris fuisse quam deos ab*[1] *trium principum amore, quo*[2] *sapientia bonitas pietas consecrata sit, in Antonino pietas, in Vero bonitas, in Marco sapientia.* Quam arte substantiua inter se cohaereant, ex eo apparet, quod praedicatum singularis numeri est. — Heliog. 6. 2 *in senatum legit sine discrimine aetatis census generis.* — Heliog. 18. 1 *uita moribus inprobitate ita odibilis, ut* . . . — Heliog. 25. 1 *nocte leones et leopardos et ursos exarmatos inmittebat, ita ut expergefacti in cubiculo eodem leones ursos pardos . . . inuenirent.* — Heliog. 27. 7 *iusserat et canonem p. R. unius anni meretricibus lenonibus exsoletis intramuranis dari.* — Max. Balb. 7. 6 *uini cibi Veneriae auidus.* — Trig. tyr. 25. 4 *accipiens ab his sceptrum coronam cycladem* (*cycli* PB). — Aurel. 7. 5 (ep.) *oleum salem lignum nemo exigat.* — Aurel. 7. 6 (ep.) *torquem brachialem*

[1] Sic Peter; *ac*, post quod rasura est, P, cf. cap. IX.

[2] Sic Peter et Lessing (Lex. p. 84 a) pro tradito *quos*, quod retinent Paucker p. 51 et Georges I. 1508. Cf. Thes. IV 379. 64 et 384. 28. Quod si nobis probatur, uerbum pro deponente usurpatur, id quod nos offendere non debet. At recte Petschenig I p. 363 sq. perspexit uoces, quae sequuntur, *in Antonino pietas* cet. minime cum hoc quadrare. Etiam Ellis (Hermath. 1905 p. 410 sq.) *quo* scribendum censuit (atque simul *hoc* pro *ac*).

anulum adponat. Brachialem substantiui uicem sustinere, non adiectiui ad *anulum* pertinentis, id quod GEORGESIO I. 858 placet (rectius in Thes. II. 2156. 18 indicatur), e Claud. 14. 5 (ep.) *brachialem unam unciarum septem* patet. — Aurel. 10. 2 *ut . . . exercitum duceret, limites restitueret . . . Thracias bubus equis mancipiis captiuis locupletaret. Captiuus* hic et alibi adiectiui munere fungi LESSING (Lex. p. 58 a) indicat. — Tac. 6. 6 (or.) *faciat eos consules duces iudices.* Cf. Heliog. 11. 1 (p. 37). — Tac. 16. 7 *Haec ego in aliorum uita de Probo credidi praelibanda, ne dies hora momentum aliquid sibi uindicaret in me necessitate fatali,* ubi per climacem substantiua coaceruantur[1].

Nomina gentium componuntur: Marc. Ant. 17. 3 *Pannonias ergo Marcomannis Sarmatis Vandalis simul etiam Quadis extinctis seruitio liberauit.* — Alex. 28. 7 *Antiochenses Aegyptii Alexandrini.* — Aurel. 28. 4 *cum Persis Armeniis Saracenis.*

Nomina terrarum componuntur: Pesc. 5. 6 *Graeciam Thracias Macedoniam.* — Gall. 13. 8 *unde pulsi per Epirum Macedoniam Boeotiam peruagati sunt.*

Nomina propria componuntur: Alb. 13. 5 (or.) *nostrae illae gentes Ceioniorum Albinorum Postumiorum.* Cf. Alb. 4. 1 *originem a Romanis familiis trahens, Postumiorum scilicet et Albinorum et Ceioniorum.* — Pesc. 8. 1 *cum nuntiaretur tres esse imperatores, Seuerum Septimium, Pescennium Nigrum, Clodium Albinum, . . .* — Heliog. 34. 1 *cum Neroni Vitellio Caligulae ceterisque huius modi numquam tyrannicida defuerit.* — Maximin. 26. 4 (accl.) *Maxime Balbine Gordiane, di uos seruent.* — Nomina pluralis numeri: Alex. 9. 4 (or.) *Nuper . . . meministis, cum ille . . . Nerones Vitellios Commodos uinceret.* — Tac. 6. 9 (or.) *imitare Neruas Traianos Hadrianos.*

Saepe ad trimembre dissolutum quartum membrum additur ea ratione, ut artius inter se priora substantiua connexa sint. Cuius generis sunt praeter exempla supra prolata, Marc. Ant. 17. 3 atque Heliog. 34. 1, hi loci: Seuer. 18. 9 *omnes tribunos centuriones duces et cohortes.* — Alex. 27. 9 *lyra tibia organo cecinit, tuba etiam.* — Max. Balb. 8. 1 *percepta tribunicia potestate, iure proconsulari, pontificatu maximo,*

[1] Alex. 56. 10 (accl.) *iuueni imperatori, patri patriae, pontifici maximo* singula membra sententiae uice funguntur. Non igitur haec substantiua dissolute iunguntur.

patris etiam patriae nomine inierunt imperium. Membrum quartum priora complectitur: Alex. 33. 2 *Corpora omnium constituit uinariorum lupinariorum caligariorum et omnino omnium artium.* — Maximin. 28. 2 . . . *ita ut nonnisi aprunam anates grues et omnia captiua ederet.* — Gord. 13. 7 *nam delatores calumniatores procuratores et omnem illam fa⟨e⟩cem . . . occidi iussit.*

Nonnumquam series uocum in dua tricola diuiditur: Hadr. 16. 8 *sed quamuis esset in reprehendendis musicis tragicis comicis, grammaticis rhetoribus oratoribus facilis,* . . . Cf. Max. Balb. 5. 6 (p. 34), Alex. 44. 4 aliosque locos (p. 37). — Hadr. 26. 4 *In conuiuio tragoedias comoedias Attellanas, sambucas lectores poetas pro re semper exhibuit.* — Pesc. 12. 1 *Amauit de principibus Augustum Vespasianum Titum, Traianum Pium Marcum.* — Cf. Get. 5. 8 (p. 57).

Marc. Ant. 19. 10 cum singula uoce iungitur membrum tripertitum: *tantum sane ualet boni principis uita, sanctitas tranquillitas pietas, ut eius famam nullius proximi decoloret inuidia.*

B. Adiectiua.

1. Synonyma.

Opil. 4. 1 *ea dicta sunt, ⟨ut⟩ appareat ⟨ig⟩nobilem sordidum spurcum fuisse.* — Alex. 20. 4 *dies denique numquam transiit, quando non aliquid mansuetum ciuile*[m] *pium fecit.* — Quatt. tyr. 8. 5 (ep.) *ciuitas opulenta diues fecunda.*

Per climacem adiectiua coaceruantur: Max. Balb. 2. 3 *natura furiosus truculentus inmanis.* — Aurel. 36. 2 *Aurelianus . . . seuerus truculentus sanguinarius fuit princeps.* — Aurel. 43. 4 *bonus cautus optimus uenditur imperator.* Cf. p. 20.

2. Cetera.

Hadr. 25. 9 (uersus) (animula,) *quae nunc abibis in loca | pallidula rigida nudula.* — Ver. 7. 2 *partumque ipsi nomen est Armenici Parthici Medici, quod etiam Marco Romae agenti delatum est.* Cf. Marc. Ant. 9. 1, 2 *delatumque Armeniacum nomen utrique principum . . . profligato autem bello uterque Parthicus appellatus est.* In titulis inscriptis hi principes non raro illis cognominibus nominantur. Cf. Inscriptiones Latinae,

ed. Dessav, I, Berolini 1892, p. 90 sqq. — Seuer. 9. 10 *atque ob hoc reuersus triumpho delato appellatus est Arabicus Adiabenicus Parthicus.* Cf. Inscriptiones Latinae, I p. 103 sqq.

Comparatiui componuntur Claud. 16. 3 (ep.), *neque enim illo quisquam deuotior fortior grauior inuenitur*; superlatiui autem Quatt. tyr. 8. 5 (ep.), *genus hominum seditiosissimum uanissimum iniuriosissimum.* Sequuntur post haec uerba p. 59 annotata.

Ad priora tria adiectiua artius inter se connexa quartum copulatiua particula additur: Aurel. 24. 8 *quid enim illo uiro sanctius uenerabilius antiquius diuiniusque inter homines fuit?* — Tac. 3. 4 (or.) *urbes ualidas nobiles diuites et potentes.* Postremo membro, quod grauissimum est, priora comprehenduntur. — Tac. 18. 2 (u. supra p. 56). — Carus 18. 4 *quattuor sane principes mundi fortes sapientes benigni et admodum liberales, unum in rem p. sentientes, semper reuerentes Romani senatus, moderati, populi amici, persancti* (*pescate* PB) *graues religiosi et quales principes semper orauimus*, ubi duo trimembria dissoluta reperiuntur, quorum alterum adiectiuum excipit, per *et* eodem atque in praecedentibus exemplis modo additum, alterum sententia relatiua per *et* annexa.

C. Verba.

1. Synonyma.

Claud. 8. 2 *trecenta uiginti milia armatorum deleuit oppressit attriuit.* — Aurel. 41. 9 (or.) *ille Persas . . . fudit fugauit oppressit.* — Tac. 8. 5 (or.) *curabo enitar efficiam, ne . . .* In his exemplis per climacem uoces exaggerantur.

2. Cetera.

Hadr. 15. 10 *professores omnium artium . . . risit contempsit obtriuit.* — Marc. Ant. 5. 8 *pro instituto patris uolens agere dicere cogitare.* — Comm. 1. 8 *iam in his artifex, quae stationis imperatoriae non erant, ut calices fingeret, saltaret cantaret sibilaret, scurram denique et gladiatorem perfectum ostenderet.* — Alex. 53. 7 (or.) *amant potant lauant Graecorum* ⟨*in*⟩ *morem.* — Claud. 3. 1 *sed testis est . . . uita mea me nihil*

umquam cogitasse dixisse fecisse gratiosum. — Aurel. 30. 2 *bellum mouerat parauerat gesserat.*

Comm. 19. 8 (accl.) uox iteratur, ut dissolutum trimembre expleatur: *De parricida refer refer perroga,* ubi PETER, an *perroga* quoque iterandum esset, haesitauit, ut 19. 3 *Perroga, perroga, omnes censemus unco trahendum.*

Hadr. 20. 11 *uno tempore scripsit dictauit audiuit et cum amicis fabulatus est.* Particulam copulatiuam legibus bonorum scriptorum repugnare dicit COTTA, p. 30, in quo tamen errat. Non enim haec uerba aequa condicione connexa sunt, cum particula locum in duas partes distribuat, quarum prior tria dissolute inter se composita uerba complectitur. Pauca tantum exemplorum, quae ille l. l. protulit, a consuetudine sermonis optimae aetatis discrepant, Hadr. 21. 4, Gord. 11. 2, Claud. 13. 2 [1]. Similem in modum ad trimembre dissolutum per *et* quartum uerbum additur: Quatt. tyr. 5. 3 (ep.) *fugauimus obsedimus cruciauimus et occidimus;* Pesc. 3. 10 (ep.) *saltant bibunt* (*uiuent* PB) *cantant et mensuras conuiuiorum uocant illi* (*cum* PB) *hoc sine mensura potare*; Alex. 52. 3 (uerba imperatoris), ubi participia iunguntur, »*Miles non timet nisi uestitus armatus calciatus et satur* (*esatur* P^1B) *et habens aliquid in zonula*»; per *atque* (cf. COTTA p. 31): Gord. 26. 4 *quicquid hostium in Thraciis fuit, deleuit fugauit expulit atque summouit,* dissolute: Trig. tyr. 9. 9 (ep.) *lacera occide concide, animum meum intellege, mea mente irascere.*

[1] *Claudius, Quintillus et Crispus fratres fuerunt.* Duo tantum uiros hic commemorari PETER opinari uidetur, cum post primum nomen non interpungat, atque duobus nominibus fratrem imperatoris Claudium Quintillum indicari. Etiam DAMSTÉ (Mnem. 1911 p. 234) de duobus hic agi ratus *Claudius* in *Claudio* mutat. At potius, ut COTTA l. l. existimare uidetur, trium uirorum hoc loco mentio fit, et imperatoris et fratrum eius. Itaque non est, cur textum non seruemus.

CAP. III.

De sententiis inter se compositis.

I. De copulatiua particula pro aduersatiua adhibita.

Interdum sententia, quae quodam modo sententiae praecedenti opposita est, huic per particulam copulatiuam additur. Atque hic usus iam optimae aetatis propria est[1]. Saepe autem fit, ut sententiam negatiuam uel notionem excipiat affirmatiua. Nonnumquam etiam, cum propter sermonis nexum laxiorem uaria et dissimilia nectuntur, fieri potest, ut duae affirmatiuae inter se repugnantes componantur. Et arte quadam non raro contrariae res ita iunguntur, ut quasi in libra altera ad alteram perpendatur, quo fit, ut oppositio magis emineat.

Neque tamen his particulis talibus locis adhibitis uis aduersatiua inest. Qua enim ratione sententiae inter se connexae sint, non exprimitur, quod si exprimeretur, particula aduersatiua indicari posset. Nonnumquam etiam nullo prorsus uinculo enuntiata iungente opus est (u. p. 75 sqq., 80). Quod autem dicit Cotta (p. 32) numquam *et*, numquam *atque*, semel tantum *que* loco coniunctionis aduersatiuae (Gall. 9. 7, u. p. 67) occurrere,

[1] Cf. Kühner et Stegmann II p. 6, 27, Schmalz p. 494, Draeger II p. 21 sq., Nägelsbach p. 767, 769, 775, 776. — Iam apud Plautum talem usum particularum copulatiuarum reperimus, cf. Ballas p. 10 sq. Ciceronis idem usus a Mertenio p. 11 sq., 16 atque a Stanglio (Tull. p. 52 sq.) tractatur, Caesaris et Pseudo-Caesarianorum comparem modum scribendi tetigit d'Ooge p. 22 sq., 51. Taciti autem consuetudinem sermonis ostendit Spitta p. 10 sqq., 31, 42, Panegyricorum Latinorum Thörnell (Stud. Paneg. 36 sq., 43), Filastrii Ivret (Romanische Forschungen XIX, Erlangen 1906 p. 263), eundemque in Vitis patrum usum Salonivs p. 334 animaduertit.

hoc non uerum esse, facile ex eis, quae de hoc usu infra sum dicturus, uidebimus.

Repugnant inter se sententiae, quae his locis componuntur: Tac. 9. 6 *consulatum petit et non impetrauit,* ubi exspectatio decipitur. — Pert. 13. 5 *Christologum eum appellantes, qui bene loqueretur et male faceret.* — Pesc. 7. 7 »*Nilum habetis et uinum quaeritis.*» Necesse autem est, cum *et* monstret haec simul fieri, ut antithesis grauius hac quam aduersatiua particula notetur. — Pesc. 11. 2 . . . *cum seruos suos annona oneraret, ne illi securi ambularent et onusti milites.* — Maximin. 9. 4 ». . . *elefans grandis est et occiditur, leo fortis est et occiditur, tigris fortis est et occiditur . . .*», quem locum laudat THÖRNELL (Stud. Paneg. p. 37) de hoc usu disputans.

Eadem ratio est, ubi per *et-quidem* scriptor rem memoratu dignam annotat, quibus uoculis tantum indicatur aliquid additum esse, quod animaduertendum est, licet hoc simul opponatur eis, quae iam dicta sunt: Opil. 1. 3 *nos tamen ex diuersis historicis eruta in lucem proferemus, et ea quidem quae memoratu digna erunt . . . sed eius, qui uitas aliorum scribere orditur, officium est digna cognitione perscribere. et Iunio quidem Cordo studium fuit eorum imperatorum uitas edere, quos obscuriores uidebat; qui non multum profecit. nam et pauca repperit et indigna memoratu.* Quam contraria fuerint studia horum scriptorum, illius, cui Capitolini nomen inditum est, et Iunii Cordi, si quidem Capitolino illi credimus, perspicitur. — Claud. 12. 6 *Quintillus autem ob breuitatem temporis nihil dignum imperio gerere potuit, nam septima decima die . . . interemptus est. et Dexippus quidem Quintillum non dicit occisum sed tantum mortuum. nec tamen addit morbo, ut dubium sentire uideatur.*

Hadr. 24. 1, ubi PETER pro tradito *et* posuit *sed*, nulla antithesis est: (ingrauescente ualetudine per somnum perit.) *Et mortuo Helio Vero Caesare Hadrianus ingruente tristissima ualetudine adoptauit Arrium Antoninum, qui postea Pius dictus est.* Per *et*, quod non dubium est quin tenendum sit, sermo solito more ad aliam rem transit.

Neque est, cur Ver. 8. 3 traditam lectionem deseramus: *Fuit eius fati, ut in eas prouincias, per quas redit, Romam usque luem secum deferre uideretur. et nata fertur pestilentia in Babylonia . . . atque inde Parthos orbemque* (*urbemque* PB) *complesse. et hoc non Lucii Veri uitio sed Cassi.* Pro *et* scripsit PETER

posteriore loco *sed*, frustra tamen, cum *et* rem magni momenti addat, ut plene id, de quo agitur, cognoscatur[1].

Restituendum est *ac* in codicibus PB exstans Gall. 10. 8 *et cum nihil aliud ageret, nisi ut Valerianum Odenatus liberaret, instabat cottidie, ac locorum difficultatibus in alieno solo imperator optimus laborabat.* Casauboni coniecturam *at locorum* recepit Peter, Lessing autem, cui p. 39a codicis nostri scriptura fortasse uera uisa est, confidentius alio loco (p. 3 a) *ac* seruandum esse opinatus est. Qui euentus consilium et coeptum eius secutus sit, eis uerbis, quae per *ac* adduntur, exprimitur. Vertere licet: ». . . und so war der tüchtige Feldherr durch die von dem Terrain verursachten Schwierigkeiten auf fremdem Boden in Gedränge gerieten.»

Maximin. 21. 4 *haec cum uellet uindicare, multum exarsit exercitus. et odium tacitum in tempus distulit, quod loco suo statim prodidit.* »Als er dies bestrafen wollte, wurde das Heer sehr erbittert. Und den Hass, den es stillschweigend hegte, verschob es in eine gelegene Zeit . . .» Quod Peter hic *set* ponit nulla ante hanc uocem interpunctione, hoc praeter necessitatem fecisse uidetur. Nam quod additur, quasi alia pars orationis separatim exponitur, in qua indicatur, quorsum illa, quae praecedunt, euaserint. Cum igitur illae enuntiationes non ex omni parte inter se contrariae sint, posteriori sententiae *et odium — distulit* sensum aduersatiuum inesse non necesse est[2].

[1] Parenthesis ab *et* incipit Tac. Ann. XI. 14 (207. 6) *Primi per figuras animalium Aegyptii sensus mentis effingebant — et antiquissima monimenta memoriae humanae inpressa saxis cernuntur —, et litterarum semet inuentores perhibent.* Pro *et* in initio parentheseos scribit Andresen *ea*, ut uidetur, hoc *et* ab altero ante *litterarum* ortum ratus. Illam tamen mutationem prorsus superfluam esse arbitror. Cf. Draeger II p. 13. Kühner et Stegmann II p. 26.

[2] Valer. 3. 3 (ep.) Lessing (Lex. p. 180 b) et Peter sic legunt: *unum ergo senem cepisti et omnes gentes orbis terrarum infestissimas tibi fecisti.* Cum autem in codice Palatino post uerbum *cepisti* rasura sit (u. Iordan et Eyssenhardt, II p. 68), uerisimile est manum primam in hoc codice scripsisse, ut in codice Bambergensi exstat, *cepistis.* Verendum igitur est, ne *s* littera ad sequentem uocem trahenda sit scribendumque sit *cepisti set* uel *sed.* Cum tamen *et* lectio optime contextui congruat, fieri etiam potest, ut textus codicis Palatini recte correctus sit.

In alia epistula, Valer. 2. 1, a rege quodam nomine Veleno ad Parthorum regem missa, testimonium codicum hoc est: *Remissa mihi auxilia integra et*

Deinde hunc locum in medium profero, ubi mihi non persuasum habeo *atque* peruersum esse, Aurel. 26. 3 (ep.) *Romani me modo dicunt bellum contra feminam gerere, quasi sola mecum Zenobia et suis uiribus pugnet, atque hostium quantum si uir a me oppugnandus esset, in conscientia et timore longe deteriore*, quod Salmasivs (p. 367) tali modo explicat: »sed tantum esse hostium, quantum si cum uiro bellum esset gerendum: magnum enim numerum magnasque copias habebat circa se Zenobia, nec minores quam uir et dux aliquis magnus habere posset. non igitur sola Zenobia. accedebat ad difficultatem timor eius et conscientia, ut feminae longe deterior, quam si uir esset. timidae enim magis feminae quam uiri. conscientia praeterea eius, quae poenam se meruisse sciret, nihilque sibi gratiae relictum apud uictoris animum speraret, nec ullum misericordiae locum uideret, si uicta esset.« Difficultas loci mihi in eo posita esse uidetur, quod paulo durius *tantum* ante *quantum* omittitur et uerbum, quod ad *hostium quantum* pertineret, deest. Ellipses uero duras nonnumquam hi scriptores admittunt (cf. p. 119 n.). Durius etiam uerba extrema *in conscientia et timore longe deteriore*, quae Zenobiam ipsam respiciunt, annectuntur. Quod tamen quid ad *atque* suspectum reddendum ualere possit, non uideo. Peter autem auctore Salmasio *atqui* pro *atque* scribendum censet. Equidem ut non multum ualere putem, quod *atqui* apud S. H. A. praeter hunc locum non occurrit (nam Quatt. tyr. 1. 3, ubi Iordan et Eyssenhardt hanc particulam intrudunt, peruerse hoc faciunt), ita in antithesi huius modi res contrarias particula copulatiua addita iuxta poni posse arbitror, ut uis maior membro utrique tribuatur.

Etiam Marc. Ant. 4. 3 uocula copulatiua, quae in cod. P fuit, postea autem erasa est, rationi loci apta est. Neque tamen, utrum particula recte an non desit, dispici potest: *in saliatu omen accepit imperii: coronas omnibus in puluinar ex more iacientibus aliae aliis locis haeserunt, huius* |||| (*que* erasum Vrlichs testatus est) *uelut manu capiti Martis aptata est.*

Maximin. 4. 9 ut aliis locis in membro posteriore, quod ab *et* incipit, *tamen* additur. (4. 6 sq.) *apud inpurum hominem ualere*

---

incolumia gratanter accepi. et captum Valerianum principem principum non satis gratulor, magis gratularer (gratuler PB, Peter, per haplographiam? cf. p. 120 n. 1), *si redderetur.* Sed cum necesse sit *gratanter* et *non satis gratulor* inter se repugnare neque in tali antithesi, qua res inaequales inter se opponuntur, *et* ferendum sit, recte Peterum *at* scripsisse puto.

nihil potuit. nam dicitur cum eo iocatus esse Heliogabalus turpissime . . . tum ille, ubi uidit infamem principem sic exorsum, a militia discessit. et tamen retentus est per amicos Heliogabali. Quod exemplum, quamquam non insigne duco, hic commemoraui, quia et PETSCHENIG (III p. 353) *attamen* coniecit et DAMSTÉ locum corrigere uoluit (Mnem. 1911 p. 186) *sed tamen* scribens. Defendit tamen LESSING textum Lex. p. 654 a[1].

Simili modo *contra* adicitur Quatt. tyr. 1. 3: *quid Marius Maximus . . . num ad istam descriptionem curamque descendit? atque contra Trebellius Pollio ea fuit diligentia, ea cura in edendis bonis malisque principibus, ut etiam triginta tyrannos uno breuiter libro concluderet.* IORDAN et EYSSENHARDT pro *atque* supposuerunt *atqui*, de qua coniectura u. p. 65. Neque illis neque NOVÁKIO, qui p. 35 aduersatiuam particulam hic flagitari ratus *at* scripsit, assentior. Atque minimum ualet, quod hic hos scriptores post grauiorem uerborum interpunctionem praeter Gord. 13. 8 *atque* particulam ante consonantem ponere negat[2].

---

[1] Max. Balb. 5. 7, ubi PETER hoc scripsit: *ac tamen militaris tribunus fuit*, falsum *ac* uidetur. Melius enim *attamen* scribitur, quoniam teste DESSAVO (u. LESSING Lex. p. 3 b) a manu prima codicis Palatini scriptum est *adta*, quod a manu tertia in *ac tamen* mutatum est. Accedit, quod plerumque in codicibus Palatino et Bambergensi *adtamen* scriptum exstat, Max. Balb. 7. 2, Aurel. 41. 15, Tac. 6. 1, Quatt. tyr. 15. 9.

[2] Etiam haec exempla, ex aliis scriptoribus annotata, digna esse uidentur, quae obseruentur. Tac. Hist. II 42 (73. 3) in sententia, quae per *et* annectitur, ἀπροσδόκητον narratur: *Attonitas subito terrore mentes falsum gaudium in languorem uertit, repertis qui desciuisse a Vitellio exercitum ementirentur . . . omisso pugnae ardore Othoniani ultro salutauere; et hostili murmure excepti, plerisque suorum ignaris, quae causa salutandi, metum proditionis fecere.* — Ann. XI. 30 (216. 28) *set* pro *et* scripsit ACIDALIVS, quod ab ANDRESENIO receptum est, ut mihi uidetur, iniuria, cum duas res a Silio adultero Messalinae postulandas censuerit Narcissus, quae non inepte per *et* iunctae simul commemorantur: *frueretur immo his* (donis Messalinae) *et redderet uxorem rumperetque tabulas nuptiales.*

Suet. Cal. 6. 2 postquam gaudio omnes, cum Germanicum conualuisse fama nuntiaret, affectos esse narratum est, per *et* sermo progreditur illam famam falsam fuisse indicans. Postea *que* post sententiam negatiuam additum est, quod nos per particulam aduersatiuam (»sondern, utan») reddere possumus: *expergefactus e somno Tiberius gratulantium uocibus . . . et ut demum fato functum palam factum est, non solaciis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit durauitque etiam per festos Decembris mensis dies.* — Cal. 12. 3 *gloriatum enim assidue in commemoranda sua pietate, ad ulciscendam*

Cum negatiuam sententiam excipit affirmatiua, copulatiua particula has sententias connectit, qui usus non rarus est. Etiam in sermone nostro inter talia enuntiata et particulae copulatiuae et aduersatiuae (»utan, sondern, but») adhiberi possunt. Ex his scriptoribus hoc exemplum affero, ubi *que*, ut COTTA (p. 32) iam animaduertit, loco coniunctionis aduersatiuae positum est, Gall. 9. 7 *non pudore, non maerore, non pietate commotus est scurrasque iussit uiuos exuri.* Sed si accuratius hunc locum inspexerimus, apparebit hic non contrarias res componi sed potius posteriorem sententiam priori consentaneam esse[1]. Eiusdem generis

---

necem matris et fratrum introisse se cum pugione cubiculum Tiberi[i] *dormientis et misericordia correptum abiecto ferro recessisse.*

Cf. etiam nonnullos locos Taciteos, ubi duo adiectiua inter se repugnantia eidem substantiuo attribuuntur per *et* iuncta. Hist. II. 20 (61. 18) *speciosis et inritis nominibus*; III. 56 (133. 1) *nec quicquam nisi iucundum et laesurum*; III. 67 (138. 24) *uoces populi blandae et intempestiuae*; IV. 33 (170. 5) *maior numerus et inbellior*; V. 7 (208. 22) *modicum id litus et egerentibus inexhaustum*; Ann. I. 13 (9. 19) (Augustus) *M'.Lepidum dixerat capacem* (imperii) *sed aspernantem, Gallum Asinium auidum et minorem*; I 38 (22. 5) (milites) *turbidos et nihil ausos*; XII. 52 (247. 8) *senatus consultum atrox et irritum*; XIV. 65 (325 10) *et orta insidiarum in Neronem magna moles et inprospera*; per *ac*: Ann. XIV. 15 (299. 4) *maerens Burrus ac laudans.* Cf. Ann. V. 3 (167. 9) *litterae, quas pridem allatas et cohibitas ab Augusta credidit uulgus.* Cf. W. HERAEVS ad hos locos.

[1] Attendas, quaeso, Tac. Ann. XI. 38 (220. 30) *nec ille* (Claudius Messalinam mortem obiisse in epulis certior factus) *quaesiuit, poposcitque poculum et solita conuiuio celebrauit.* — Suet. Iul. 69 *non enim cessit umquam tumultuantibus* (militibus) *atque etiam obuiam semper iit.* — Cal. 6. 2 (u. p. 66 n. 2). Cf. KÜHNER et STEGMANN II p. 28, BALLAS l. l., MERTEN l. l., d'OOGE l. l., SPITTA l. l.

Posterior sententia etiam saepe per asyndeton annectitur (cf. KÜHNER et STEGMANN II p. 156 sq.), qui usus a Tacito frequentatur. Cf. MENDELL, Sentence connection in Tacitus, thesis, Yale University, New Haven 1911, p. 43 sqq., atque hi loci: Hist. I. 83 (45. 26) *tumultus proximi initium non cupiditate uel odio . . . ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorum: nimia pietas uestra acrius quam considerate excitauit.* — Hist. II. 3 (52. 27) *simulacrum deae non effigie humana, continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metae modo exsurgens.* — Ann. V. 3 (167. 12) *sed non arma, non rerum nouarum studium, amores iuuenum et inpudicitiam nepoti obiectabat.* — Germ. 38 (242. 21) *neque enim ut ament amenturue, in altitudinem quandam et terrorem adituri bella compti* [ut] *hostium oculis ornantur.* — Agr. 37 (274. 3) *in fugam uersi, non agminibus, ut prius, nec alius alium respectantes: rari et uitabundi in uicem longinqua atque auia petiere.*

est Marc. Ant. 19. 12 *tantum sane ualet boni principis uita, sanctitas tranquillitas pietas, ut eius famam nullius proximi decoloret inuidia. denique Antonino, cum suos mores semper teneret neque alicuius insusurratione mutaretur, non obfuit gladiator filius, uxor infamis: deusque etiam nunc habetur.*

Interdum minime differt, utrum haec an illa particula ponatur, id quod ex his locis elucet, ubi dubites, quid exspectes, ut oppositio per *sed* indicetur an ut transitio ad aliam rem per *autem* (uel *et*) notetur: Trig. tyr. 22. 7 *nec eius ad regendam rem p. uigor defuit, nam Thebaidem totamque Aegyptum peragrauit et, quatenus potuit, barbarorum gentes forti auctoritate summouit. Alexander denique uel Alexandrinus . . . uirtutum merito uocatus est. et cum contra Indos pararet expeditionem, misso Theodoto duce Gallieno iubente dedit poenas, et quidem strangulatus in carcere captiuorum ueterum more perhibetur.* Pro *et* DAMSTÉ (Mnem. 1911 p. 230) *sed* supponi uoluit, »quandoquidem supra non nisi bona ac secunda Aemiliani memorata sunt.» At non est, cur *et* addubitetur.

Similiter se habet *que* Trig. tyr. 33. 3: *factus est ⟨imperator et⟩ scurrarum ioco Claudius appellatus est. cumque se grauissime gereret neque a militibus ob disciplinam censoriam ferri posset, ab his*[1] *ipsis, a quibus factus fuerat, interemptus est.* Contrariae sunt creatio principis et trucidatio, id quod tamen scriptor indicare neglexit.

Praeterea animaduertendum est Suet. Claud. 13. 1: *Nec tamen expers insidiarum usque quaque permansit, et a singulis et per factionem et denique ciuili bello infestatus est*, ubi in apodosi *et-et-et* inter se respondent. Quod IHM scripsit, *sed et a* tantum in familia *Υ* est, in cod. G autem et in fam. X *et a* scriptum est, *etaeta* uero, quod in cod. M exstat, manifestum est idem esse per dittographiam bis positum. *Et* autem ut lectio difficilior praeferendum est. Sic etiam BENTLEY scripsit, qui tamen frustra *est* uerbum deleuit.

[1] *is* PETER. Cf. LESSING (Lex. p. 237 a).

II. De *et* additamentum subiungente.

Non alienum est hos addere locos paucos, ubi Peter mihi de codicis uera scriptura sine iusta causa dubitare uidetur. Primus est hic locus, Trig. tyr. 20. 1 *Et bene uenit in mentem, ut, cum de hoc Valente* (de quo narratum est cap. 19) *loquimur, etiam de illo Valente, qui superiorum principum temporibus interemptus est, aliquid diceremus.* Particula *et* hanc uitam et praecedentem connectit. Peter dubitauit, num *en* rectius scriberetur, sed nulla causa est, cur textum mutemus. Cf. Claud. 10. 1 *Et bene uenit in mentem, exprimenda est sors . . .*

Deinde in quaestionem uoco Alex. 66. 1 *quia melius est unum malum* (sc. principem) *pati quam multos* (sc. principis amicos). *Et ut ad rem redeam, Alexander quidem et ipse optimus fuit et . . .* Peter autem coniecit: *quia melius est unum malum pati quam multa. Sed ut ad rem redeam . . .* At nescio an neutra *malum, mala* maiorem uim habeant quam masculina *malum, malos.* Verum hac de causa ad corrigendum perduci non licet. Cf. paulo ante (65. 4) *siquidem unus malus potest a plurimis bonis corrigi, multi autem mali non possunt ab uno quamuis bono ulla ratione superari.* Particula autem *et* minime offendit, cum saepe in initio nouae partis sermonis ponatur. Hic autem regressum orationis ad rem relictam indicat, ut alibi. Cf. Maximin. 28. 8 *Et quoniam ad Maximinum seniorem reuertimur, res iucunda praetereunda non est.* — Alex. 10. 3 (in serie acclamationum et principis responsorum) *item dixit: »Si enim Antonini nomen accipio, possum et Traiani, possum et Titi, possum et Vespasiani.» Et cum diceret, adclamatum est: »Quomodo Augustus, sic et Antoninus.» Et* (*Item* Peter) *imperator: »Video, patres conscripti, quid uos ⟨moueat⟩ ad hoc nobis nomen addendum . . .».* Mutatione Peteri, quam ellipseos causa excogitatam esse opinor, hic locus cum 9. 7, ubi eadem uerba *Item imperator: . . .* ocurrunt, consentit. Sed etiam alibi nonnusquam *et* in huius modi breuibus sententiis, quae uicissitudines personarum loquentium significant, ponitur, ubi eadem ellipsis uerbi dicendi inuenitur: 8. 1 *Et post adclamationes Aurelius Alexander Caesar Augustus* (sine hac particula 8. 4) atque 11. 3; 53. 8 *atque iterum*; Opil. 6. 5 *Et infra,* pro quo orationis uariandae gra tia 6. 6 et 6. 8 *Item infra* scriptum est.

III. De copulatiua particula pro explanatiua adhibita.

Eodem modo *et atque* adhibentur, etiam ubi *nam* uel *enim* exspectatur, cum, qua ratione sententiae inter se nexae sint, etiam explanatiua particula exprimi licuerit. Gord. 21. 2 *frigidarum percupidus nec facile per aestatem nisi frigidas et quam plurimas bibit. et erat corporis uasti, quare magis ad frigidas urguebatur.* Illius sententiae, cui particula *et* praeponitur, quamquam sensum explanatiuum scriptor non exprimere uoluit, cum hoc tantum ut per se memoria dignam rem adderet, tamen ipso contextu hanc uim *et* accipit, ut uertere liceat: »Er hatte nämlich einen ungeheuren Körper». — Trig. tyr. 16. 3 *quicquid diuitiarum gemmarumque cepit, eidem tradidit paternae indulgentiae adfectione permotus. et erat circa illum Zenobia nouercali animo, qua re commendabiliorem patri eum fecerat.* Posterior sententia causam, quamquam fortasse non solam, indulgentiae patris indicat, id quod etiam sententia relatiua addita ostenditur.

Aurel. 24. 5 *norat uultum philosophi uenerabilis Aurelianus atque in multis eius imaginem uiderat templis.* Posterior sententia cum causam indicet, fortasse tamen unam inter alias, at certe praecipuam, fieri potest, ut hanc sententiam pro explanatiua interpretemur. Nec tamen Damsteo (Mnem. 1911 p. 235) credi potest genuinam lectionem *ut qui* esse opinanti.

Eodem pacto per *atque* explanatio additur Diad. 5. 6: *cum in cunis esset Diadumenus et leo . . . ferus effugisset atque ad incunabula eius uenisset, puerum delinxit et inuiolatum reliquid, cum nutrix se in leonem misisset atque eius morsu adfecta perisset. atque sola forte in areola inuenta erat, in qua infans iacebat.* Retinenda est tradita lectio *atque* postremo loco, pro qua Peter cum Vngero *ut quae* scripsit leuiter post *perisset* interpungens, cum ante *namque* supposuisset. Est autem sententia illa ab *atque* incipiens, qua narratio expletur, a praecedentibus soluta. Et iam Lessing (Lex. p. 521), an *atque* retinendum esset, dubitauit[1].

[1] Cf. Bened. Reg. 36. 18 *Curam autem maximam habeat abbas, ne a cellarariis aut a seruitoribus neglegantur infirmi; et ipsum respicit quicquid a discipulis delinquitur.*

IV. De *et quid*.

Interdum *et* ponitur, ubi se ipse corrigit scriptor, uelut Seuer. 21. 7 *qui* (sc. Caracallus) *nouercam suam — et quid nouercam? matrem quin immo . . . uxorem duxit.* Sic Peter recte textum seruauit. Petschenig autem (I p. 376) *et quid* in *ecquid* mutare uult[1]. At tradita lectio, si necesse est, similibus locis defenditur, Auid. 12. 6 (or.) *quare filiis Auidii Cassii et genero et uxori ueniam dabitis. et quid dico ueniam? cum illi nihil fecerint.* — Alb. 13. 10 (or.) *senatus nos consules faciat. et quid* (*quod* PB) *dico senatus? uos ipsi et patres uestri; eritis enim ipsi senatores*[2].

Nonnumquam sententia posterior uices sustinet enuntiationis finalis, ut Suet. Ner. 35. 4 *eat nunc, inquit, mater mea et successorem meum osculetur.* V. etiam Sjögren (De part. cop. p. 78 sqq.).

Sententiae per *et* iunguntur, quarum posterior, quid e priore consequatur, indicat. Suet. Galb. 7. 2 *militi . . . uetuit, simul atque indigere cibo coepisset, a quoquam opem ferri; et is fame extabuit.*

[1] Contra his locis cum Petero *ecquis* scribendum uidetur, ubi *et quis* traditur: Tac. 4. 4 (accl.) *ecquis melius quam grauis imperat? ecquis melius quam litteratus imperat?* Lessing (Lex. p. 159 a) scripsit: *et 'quis melius quam grauis imperat?' et 'quis melius quam litteratus imperat?'*, interpunctione ut arguta ita non necessaria. Similiter legendum Tac. 5. 1 (accl.) *ecquis* (*et quis* PB) *melius quam senex imperat?* At ostendit Birt (Arch. XV p. 76 sqq.) nonnumquam in libris manu scriptis exstare *etquis*, ubi *ecquis* uulgatur, atque sic scribendum censet. Verum quam exiguum plerumque discrimen inter *c* et *t* litteras sit, manifestum est.

[2] Cf. Apul. Ap. 8 (p. 9. 18 Helm), ubi oratio his uerbis interrumpitur: *et quid ego de homine nato diutius?*

Aliter comparati sunt ii loci, de quibus disputant Löfstedt (in Arnobianis p. 44 sqq.) atque Thörnell (Tert. I p. 52 sqq.). Ostendunt enim Arnobium et Tertullianum saepe per *et* interrogationem annectere ad absurditatem rei uel opinionis alicuius indicandam et quidem non modo in soluta sententia uerum etiam in apodosi. Aliquos locos iam protulit Baehrens (Philol. Suppl. XII (1912) p. 430 sq.).

CAP. IV.

De sententiis dissolute iunctis.

I. De sententiis liberis dissolute copulatis.

Saepe apud hos scriptores enuntiationes et liberae et secundariae *ἀσυνδέτως* nectuntur. Atque nonnumquam series sententiarum nulla particula iunctarum inueniuntur, uelut in acclamationibus uel in rebus a principe aliquo gestis enumeratis. Quam consuetudinem si cognoscere uelis, euoluas Hadr. 19, Comm. 12, Gall. 16, Aurel. 39, Tac. 10, alios locos.

Non raro inter sententias editores particulam inculcarunt uel alio modo textum correxerunt. Interdum uero inutiliter textum temptarunt.

Recte hoc loco Baehrens (Mnem. 1910 p. 430), ut iam ante eum Lessing (Lex. p. 180 a), ad sinceram librorum memoriam reuertitur, Alex. 61. 6 *qui subito plures armatique ingressi inermes et obsistentes contruncarunt, ipsum plurimis ictibus confoderunt.* Cum grauius pondus uoci *ipsum* asyndeto detur, non est, cur cum Petero *et* ante illam inseramus. — Restituendus est textus etiam Did. Iul. 5. 3, *perturbatus est, ad senatum uenit imperauitque, ut hostis Seuerus renuntiaretur*, ubi Peteri emendatio *perturbatus est ⟨et⟩* superuacanea et reiectanea est. — Nec recte Petschenig (III p. 353) particulam addidit Maximin. 9. 7 inter priores harum sententiarum: *praeterea omnes Alexandri ministros uariis modis interemit ⟨et⟩ dispositionibus eius inuidit et, dum suspectos habet amicos ac ministros eius, crudelior factus est.* Tollendum est *et* atque simul grauiter post *interemit* et *inuidit* distinguendum.

Temere Damsté hos locos corrigendos esse putauit: Pesc. 3. 7 (Mnem. 1912 p. 267) *et reuera in re militari uehemens fuit. numquam sub eo miles prouinciali lignum oleum operam extorsit. ipse a milite nihil accepit ⟨et⟩ cum tribunatus ageret, nihil accipi passus*

est; Trig. tyr. 26. 2 (Mnem. 1911 p. 231) *quem cum alii archipiratum uocassent, ipse se imperatorem appellauit. monetam etiam cudi iussit ⟨et⟩ Palatium in arce Isauriae constituit.* Utroque loco particula melius omittitur secundum codices, quia breuitati sententiarum asyndeton apte conuenit[1].

Hic locus a criticis saepius sollicitatus est, Max. Balb. 9. 3, ubi Peter quam proxime ad codicum testimonium accessit hoc legens: . . . *cum Balbinus, homo lenior, seditionem sedare non posset. nam et in publicum processit, manus singulis quibusque tetendit* (*tenuit* PB) *et paene ictum lapidis passus est, ⟨ut⟩ alii dicunt, etiam fuste percussus est.* Madvig (Aduers. crit. II p. 642) coniecit *nam et in publicum ⟨cum⟩ processit*, . . . Lessing (Stud. p. 36 et Lex. p. 370 a) *processit ⟨et⟩* scripsit, Damsté (Mnem. 1911 p. 193) denique hoc modo locum mutauit: *nam ut in publicum processit, manus singulis quibusque tetendit et paene ictum lapidis passus* [est], *⟨ut⟩ alii dicunt, etiam fuste percussus est.* Mihi quidem locus ita, ut Peter scripsit, sanus uidetur. V. etiam p. 97 sq.

Deinde ad Gall. 12. 4 animum attendas uelim: *nam cum taurum ingentem in harenam misisset exissetque ad eum feriendum uenator neque productum decies potuisset occidere, coronam uenatori misit; mussantibus* (*mussacnctibus* P¹, *c* litteris post expunctis) *cunctis, quid rei esset, . . . ille per curionem dici iussit: . . .* Peter lectionem codicis Bambergensis *mussan*[c]*tibusque* praetulit, quem miror Lessingivm (Lex. p. 369 a) secutum esse. Neque enim est, cur hic non, ut semper, summam auctoritatem codici Palatino concedamus.

Gall. 4. 1 item a Petero codicis Bambergensis lectio recepta est, pro qua nunc scriptura codicis Palatini substitui debet: *Per idem tempus Aemilianus apud Aegyptum sumpsit imperium. occupatis* (*-que* B) *horreis multa oppida malo famis pressit.* Hic sententiae tantum altera iuxta alteram ponuntur, neque alia ratione quam ipso contextu ostenditur eas inter se cohaerere.

---

[1] Contra *et* sententias recte connectere uidetur Marc. Ant. 27. 4, quamquam uariae res in illis narrantur: *Romam ut uenit, triumphauit et inde Lauinium profectus est.* Peter post *triumphauit* grauiter interpungens *et inde* in *exinde* mutauit nulla alia causa, ut uidetur, quam quod series breuium sententiarum nulla particula iunctarum sequitur. Quae tamen causa non satis ad textum corrigendum ualet. Itaque Lessingivm (Lex. p. 189 b) recte textum retinere opinor.

Ne hoc quidem loco *que* uel aliam particulam necessariam esse arbitror, Heliog. 9. 1, ubi apud PETERVM sic legitur: *dictum est a quibusdam per Chaldaeos et magos Antoninum Marcum id egisse, ut Marcomanni p. R. semper deuoti essent atque amici, idque sacris* (*factus* PB, *factum* AEM. BAEHRENS, Neue Jahrbücher 1886 (133) p. 217) *carminibus et consecratione*[m]. *cum⟨que⟩ quaereretur, quae illa esset, . . . suppressum est.* Ante *cum* BAEHRENS l. l. in initio sententiae scripsit *inde*. Me iudice neque hoc neque *que* requirendum est.

Aurel. 14. 1 asyndeton explicatiuum adhibetur: *Post haec Valeriani dicta Aurelianus surrexit atque ad manus accessit agens gratias militaribus uerbis, quae propria et ipsa adponenda decreui. Aurelianus dixit: . . .*

Alb. 5. 8 sine particula sententiae iunguntur, quarum prior negatiua, posterior affirmatiua est: *septem aquilae paruulae de nidis adlatae sunt et quasi ad iocum circa cunas pueri constitutae: ne hoc omen pater abnuit, iussit aquilas ali et diligenter curari.* De *ne* hic pro *ne-quidem* posito u. p. 77 n. 1. FRANKFVRTER (Wiener Stud. 1891 p. 249) *ne* in *nec* mutauit atque *et* uel *que* inserere uoluit, utrumque frustra.

Ut uocum (cf. p. 52 sq.) ita sententiarum duo membra particula copulatiua nectuntur, tertium ἀσυνδέτως additur: Aurel. 43. 3 *colligunt se quattuor uel quinque atque unum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt, dicunt, quid probandum sit.* Eandem rationem in enuntiatis secundariis iungendis inuenimus Ver. 4. 6 (p. 80 sq.)[1].

---

[1] Copiose de sententiis a Tacito nullo uinculo iunctis agit MENDELL in commentatione Yalensi, quae inscribitur Sentence connection in Tacitus, New Haven 1911, p. 1 sqq., ubi in tres partes distribuit huius usus exempla. In primum genus illa confert, in quibus narratione celeriter progrediente uiuacior fit sermo, p. 2 sqq. Deinde eos locos seponit, ubi prodigia, res a quodam uiro gestae, senatus consulta enumerantur, ubi uir describitur uel similia narrantur, p. 7 sqq. Postremo locos tractat, ubi sententiae dissolute iunctae interiore quodam nexu cohaerent, p. 16 sq.

De dissolutione, qua Suetonius usus est, disputat FREVND p. 36 sqq. Cf. etiam Cal. 7, ubi cur *et* contra auctoritatem plurium codicum inserat IHM, non uideo: *habuit in matrimonio Agrippinam, M. Agrippae et Iuliae filiam, ex ea nouem liberos tulit: quorum duo . . .* In apparatu autem critico editor ille fortasse rectius *et*, quod in NQRT codicibus est, omitti dicit. Huius quoque loci mentionem facere liceat, ubi IHM recte testimonium codicum sequitur, Cal. 32. 1: *saepe in conspectu prandentis uel comisantis seriae quae-*

II. De sententiis liberis per asyndeton aduersatiuum iunctis.

Non raro sententiae contrariae dissolute iunguntur, inter quas editores criticique particulam aduersatiuam interponendam censuerunt[1]. Et primum hoc exemplum proponam, Seuer. 4. 3, ubi memoria codicum haec suppeditat: *in Sicilia quasi de imperio uel uates uel Caldaeos consuluisset, reus factus est. a praefectis praetor., quibus audiendus datus fuerat, iam Commodo in odio ueniente absolutus est calumniatore in crucem acto.* Peter textum hoc modo mutauit: *reus factus, sed a praefectis* . . . Habet quidem, si qua ratione sententiae nexae sint exquirimus, illa *a praefectis* e. q. s. uim aduersatiuam, sed hanc significare eum, qui hoc scripsit, non necesse fuit.

Similiter Gord. 29. 1 additur adiectiuum, ante quod particula non necessaria est: *praefectus praetorii factus est Philippus Arabs, humili genere natus, superbus, qui se in nouitate atque inormitate fortunae non tenuit*, ubi nescio an adiectiuum enuntiato relatiuo explicatum nullo aduersatiuo sensu simpliciter addatur. Peter autem ⟨*sed*⟩ *superbus* scripsit.

Paulo durius uocula aduersatiua omittitur Maximin. 4. 6: *ad eum* (= Heliogabalum) *uenit petitque, ut, quod auus eius Seuerus iudicii circa se habuerat, et ipse haberet. apud inpurum hominem ualere nihil potuit. nam dicitur cum eo iocatus esse Heliogabalus turpissime:* . . . In hoc exemplo oppositio, quae alias particula

stiones per tormenta habebantur, miles decollandi artifex quibuscumque e custodia capita amputabat.

Apud Apuleium hic locus animaduertendus est, Met. II. 26 (46. 14) *et conuersa Philodespotum requirit actorem, ei praecipit, bono custodi redderet sine mora praemium.*

In indice editionis suae asyndeton indicauit Baehrens Paneg. XI. 3. 6 (277. 18).

Cf. etiam Kühner et Stegmann II p. 155 sq., Draeger II p. 209 sq., Löfstedt in Erani uol. VII p. 55 et Per. Aeth. p. 305. Exempla apud Commodianum congessit Dombart, C. S. E. L. XV p. 199, atque apud Victorem Vitensem Petschenig, C. S. E. L. VII p. 148.

[1] Cf. Kühner et Stegmann II p. 156, Stangl in Pseudoasconianis (p. 14) atque Lactantianis (Rhein. Mus. 70 (1915) p. 228, 237, 247). Hoc exemplum Taciteum dignum est, quod notetur, Hist.: I. 83 (46. 7) *unus alterue perditus ac temulentus . . . centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet, imperatoris sui tentorium inrumpet?*

aduersatiua exprimi solet, etiam nulla particula adiuuante cernitur atque in maius augetur, eodem fere modo, atque cum pro aduersatiua ponitur copulatiua particula (u. p. 62 sqq.). Itaque cum PETERO *sed* ante *apud* inserere non necessarium est.

In uersibus Opil. 11. 4 aduersatiuo asyndeto intenditur antithesis, quae inter sententiam primam posterioresque est: *nam pius et felix poterat* (*poterit* P[1]) *dicique uiderique, imperium infelix est,* [et] (a PETERO uersus causa exclusum) *erit ille sibi*[1].

Vereor, ne textui uim adhibeat PETER particulam inserendo, quae sententiam aduersatiuae significationis annectit, Aurel. 8. 2 (ep.): *Culpas me familiaribus litteris, quod Postumo filium meum Gallienum magis quam Aureliano commiserim, cum utique seueriori et puer credendus fuerit et exercitus. Ne tu id diutius iudicabis, si bene scieris, quantae sit Aurelianus seueritatis.* PETER pro tradito *ne tu* scripsit *nec tamen.* AEM. BAEHRENS autem (Neue Jahrbücher 133 (1886) p. 222) *ne* pro *νή* accipiens *diutius* errore pro *iustius* scriptum putat. At mihi textus saluus esse uidetur. Neque tamen mihi BAEHRENS neque LESSING (Lex. p. 373 a) recte *ne* pro particula affirmatiua interpretari uidentur. Patet enim sensum negatiuum huic uoculae inesse, cum ironice haec sententia intelligi non possit, sicut etiam in exemplo a LESSINGIO l. l. simul sub eodem titulo »ne = *νή*» posito uoculae illi sensus negatiuus inest, Trig. tyr. 30. 5 (ep.) *Audio, p. c., mihi obici, quod non uirile munus impleuerim Zenobiam triumphando. ne illi, qui me reprehendunt, satis laudarent, si scirent, quae illa sit mulier, quam prudens in consiliis, quam constans in dispositionibus*[2]. His locis oppositio in eo est, quod primum, quod sibi obicitur, dicit princeps, deinde id refellit. Haec sententia eo quoque firmatur, quod apud Gregorium Turonensem BONNET (p. 311 sq.) *ne* in enuntiatione, in qua indicatiuus est, positum idem ac *non* uel *nec*

[1] Nisi hi loci propterea suspicioni obnoxii essent, quod *c* littera facillime excidere potuit, hic quoque *ne* pro *non* positum esse affirmarem: Aurel. 3. 3 *plerumque solum genitale confingunt, ut dent posteritati de locorum splendore fulgorem. nec tamen* (ita P[3], PETER, *ne tamen* P[1]B) *magnorum principum in rebus summa sciendi est, ubi quisque sit genitus, sed qualis in re p. fuerit.* — Hadr. 13. 5 *Inde Romam uenit atque ex ea in Africam transiit ac multum beneficiorum prouinciis Africanis adtribuit. nec* (*ne* P) *quisquam fere principum tantum terrarum tam celeriter peragrauit.* Necessarium autem *nec* est Auid. 8. 3, quod accusatiuos cum infinitiuis iunctos connectit.

[2] ELLIS (Hermath. 1905 p. 410) *imperio* pro *imperium* scribendum censuit.

ualere monstrat. Quorum sensuum prior mihi magis his locis placet[1]. In hunc denique numerum refero uerba poetae, quae laudantur Carus 13. 5: *nam et »Lepus tute es : pulpamentum quaeris« Liui Andronici dictum est.* Quae uerba etiam apud Terentium, Eun. 426, reperiuntur, ubi codex Bembinus, optimus ille Terentianus liber manu scriptus, *Lepus tute es et pulpamentum quaeris* exhibet, ut etiam Donatus scripsit. Fleckeisen autem, uersus uidelicet causa, *et* tollit.

III. De sententiis liberis alia ratione dissolute iunctis.

Asyndeton etiam adhibetur, cum sententiae ea ratione inter se connexae sunt, ut sensus conclusiuus uel explanatiuus eluceat, quam consuetudinem haec exempla demonstrant[2]. Quod praecipue in uerbis ab aliquo factis cerni potest: Pesc. 7. 8 (milites ita loquuntur:) »*Vinum non accepimus, pugnare non possumus.*« — Heliog. 11. 2 (imperator dicit:) »*Erubuit, salua res est.*« — Aurel. 23. 2 »*Canem*«, *inquit* (Aurelianus), »*negaui in hac urbe me relicturum : canes omnes occidite.*«

Similiter in acclamatione Comm. 19. 9 sententiae componuntur: *Innocentes sepulti non sunt : parricidae cadauer trahatur. parricida sepultos eruit : parricidae cadauer trahatur.*

Asyndeton autem explanatiuum hoc loco adhibitum est, Pesc. 7. 8, qui post uerba supra prolata sequitur, »*Erubescite*«, *inquid* (Pescennius Niger), »*illi, qui uos uincunt, aquam bibunt.*« Perspicuum est hac ratione maiorem uim effectam esse quam si particula explanatiua interposita esset. — In epistula Aurel. 26. 8 exscripta *enim*, quod a Petero additur, a manu autem prima co-

[1] Nonnumquam haec particula *ne-quidem* ualet. Duos locos apud S. H. A. indicat Lessing (Lex. 375 a), Alb. 5. 8 (cf. p. 74) atque Diad. 7. 2. Idem sensus his locis Apuleianis inuenitur: Met. I. 23 (p. 21. 6 Helm) *nam . . . nulla* <*s*>*es*[*c*]*sibula ac ne* (*anne* codd.) *sufficientem supellectilem parare nobis licet.* — III. 6 (56. 24) *cum nemo possit monstrare uel proprias inter nos inimicitias praecessisse ac ne omnino mihi notos illos latrones usquam fuisse.* — III. 11 (60. 5) *Neque tuae dignitatis uel etiam prosapiae tuorum ignari sumus . . . ac ne istud, quod uehementer ingemescis, contumeliae causa perpessus es.* — IV. 5 (78. 1) *non fustibus, non stimulis ac ne cauda et auribus cruribusque undique uersum eleuatis temptauit exsurgere.*

[2] De asyndetis conclusiuis et explanatiuis apud Panegyricos egit Thörnell, Stud. Paneg. p. 41 sq.

dicis Palatini omittitur, cui praecipue auctoritas tribuenda est, superuacaneum esse opinor: *Sponte facere debuistis id, quod meis litteris nunc iubetur: deditionem* (*enim* add. Peter) *praecipio inpunitate uitae proposita, ita ut illic, Zenobia, cum tuis agas uitam, ubi te ex senatus amplissimi sententia conlocauero.* Cum oratio dissoluta prorsus non, ut satis docui, ab horum scriptorum usu abhorreat, non necesse est particulam hic intrudere. Multo etiam minus illa flagitatur Alex. 41. 2: *prorsus censuram suis temporibus de propriis moribus gessit. imitati sunt eum magni uiri et uxorem eius matronae pernobiles.* Damsté (Mnem. 1912 p. 274) praeter necessitatem *imitati sunt enim eum* scripsit, cum Peter testimonium codicum secutus sit.

Cf. etiam Tac. 19. 4 (ep.) *gratias exercitui Romano et uere Romano: reddidit nobis quam semper habuimus potestatem.*

IV. De sententiis secundariis dissolute copulatis.

Nonnullis locis, ubi sententiae secundariae dissolute iunctae sunt, textum critici infestarunt neque tamen semper, ut mihi uidetur, recte. Hi autem loci notatione digni sunt.

Pesc. 2. 4. *Ad occidendum autem Nigrum primipilarem Iulianus* (*Iulianum* P¹B) *miserat, stulte ad eum, qui haberet exercitus seueri posset; proinde quasi qualis libet imperator a primipilario posset occidi.* Sic traditum est. Peter ex *seueri* fecit *se tueri*, leui quidem mutatione, cum *t* littera facile excidere potuerit. Praeterea, quod asyndeton tolerari non posse putauit, ante *se* particulam *et* immisit. Damsté autem (Mnem. 1912 p. 267) cum Iordano prius *posset* errore propter alterum repetitum esse existimauit, deinde haec omnia *stulte ad eum qui haberet exercitus Seueri* perperam in textum illapsa esse et tollenda opinatus est. At quomodo ex interpolatione oriri potuerint, non liquet. Cum uero hae uoces *exercitus Seueri* neque cum re uera neque cum ceteris uerbis congruant, coniecturam Peteri *se tueri*, quam Lessing in lexicon suum (p. 682 a) recepit, bene inuentam esse arbitror. Quod autem particula *et* ab his inter sententias immissa est, illud praeter necessitatem mihi factum esse uidetur. Prius enim enuntiatum posteriore explicatur, quod idem fere ualet atque *se igitur tueri posset,* quo asyndeton aliquatenus subleuatur. Inter sententias liberas hoc genus asyndeton inuenitur, ut supra ostendi p.

77. Posset igitur sic scribi, si haec enuntiata libera essent: *Habet exercitus, se tueri potest.* Quare hoc loco ad testimonium codicum quam proxime accedendum est: . . . *stulte ad eum, qui haberet exercitus, se ⟨t⟩ueri posset.*

Praeterea argumento est, quod nonnumquam alias sententiae secundariae nulla particula uinciente iunguntur. Et enuntiata quidem relatiua ut nostro loco sic etiam his locis dissolute componuntur: Did. Iul. 4. 8 *multa igitur, quae Commodus statuerat, Pertinax tulerat*[1], *ad conciliandum fauorem populi restituit,* ubi sententiae inter se contrariae sunt; Aurel. 23. 3 *nam iocatum principis, quo praeda negabatur, ciuitas seruabatur, totus exercitus ita, quasi ditaretur, accepit*[2].

[1] Apud S. H. A. *tuli* perfectum est non modo uerbi *ferre* sed etiam *tollere.* Ex. autem, in quibus idem ac *sustuli* ualet, coll. Lessing (Lex. p. 206 b).

E Cicerone exemplum, de orat. II. 63. 255, a Stanglio (Tull. p. 39) prolatum est. Plura Tulliana protulit Sjögren (Eran. XIX p. 136), quorum hoc affero, ep. IV. 7. 2 *Ego eum te esse, qui . . . malorum initia multo ante uideris, consulatum . . . optime gesseris, praeclare memini.*

[2] Exempla e Panegyricis afferunt Thörnell (Stud. Paneg. p. 36) atque Baehrens (Mnem. 1910 p. 429), qui praeter hos locos ex Panegyricis sumptos, IV. 14. 6 (167. 23), VI. 5. 2 (204. 9), XII. 16. 5 (303. 1), etiam aliunde exempla profert. V. denique Stangl (Rhein. Mus. 70 (1915) p. 450 sq.).

Cf. praeterea Tac. Ann. XI. 23 (212. 23), *oppleturos omnia diuites illos, quorum aui proauique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro uique ceciderint, diuum Iulium apud Alesiam obsederint.* — Nescio an Ann. XII. 3 (257. 26) *et Augusto prompta ac profluens, quae* (*quaeque* Andresen) *deceret principem, eloquentia fuit* sententia relatiua nullo uinculo cum ceteris attributis iuncta substantiuo, ad quod pertinet, praecedere possit. — Quod autem ante enuntiatum relatiuum pronomen demonstratiuum omittitur, quod in genetiuo casu esset (de hac consuetudine sermonis cf. Kühner-Stegmann II p. 281 sq., Schmalz p. 623, Baehrens Philol. Suppl. XII (1912) p. 324 sqq., Hache p. 46 sqq., cf. etiam p. 140 n. 2), asyndeto non obstare puto, Ann. VI. 37 (192. 1) *monet . . . hunc Phraatis aui et altoris Caesaris, quae* (*quaeque* Andresen) *utrubique pulchra meminerit.* Eadem dissimilitudo inter priora membra et postremum occurrit hoc loco, qui ab illo editore intactus relictus est: Ann. III. 40 (106. 3) *egregium resumendae libertati tempus, si ipsi florentes, quam inops Italia, quam inbellis urbana plebes, nihil ualidum in exercitibus nisi quod externum, cogitarent.* — Etiam cum nomen et enuntiatum interrogatiuum iunguntur, asyndeton ferri posse puto, quamquam Andresen *que* particulam, per haplographiam facile omissam, inseruit. Germ. 27 (236. 19) *nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quae nationes e Germania in Gallias commigrauerint, expediam.*

Postremo cf. Suet. Oth. 8. 1 *auctor senatui fuit mittendae legationis, quae doceret electum iam principem, quietem concordiam* (cf. p. 47 n.) *suaderet.*

Interdum etiam enuntiationes consecutiuae dissolute iunguntur: Alb. 14. 2 *senatui autem tantum placuit, ut miris adclamationibus absentem eum ornaret et uiuo Commodo et deinceps interempto, ita ut nonnulli etiam Pertinaci auctores fuerint, ut eum sibi socium adscisceret, apud Iulianum de occidendo Pertinace ipsius plurimum auctoritas ualuerit.* Peter ita, ut traditum est, scripsit, quamquam Petschenig (I p. 381) *et* ante *apud* inserere uoluit. At asyndeton eo minus offendit, quod *Pertinax* atque *Iulianus* alter alteri opponuntur. — Maximin. 27. 1 *ipse autem pulchritudinis fuit tantae, ut passim amatus sit a procacioribus feminis, nonnullae etiam optauerint de eo concipere.* Peter posteriorem sententiam *optauerunt* scribendo fecit liberam. At non durum asyndeton est, cum per intentionem (*etiam* »sogar» esse apertum est) posterior sententia adiciatur[1].

Cottae p. 36 n. offensioni est asyndeton aduersatiuum post *non* inter enuntiata consecutiua adhibitum hoc loco, Gord. 12. 3 *hunc autem morem apud ueteres necessitates publicae repperere runt, ut . . . senatus consultum tacitum fieret, ita ut non scribae, non serui publici, non censuales illis actibus interessent, senatores exciperent, senatores omnium officia censualium scribarumque conplerent.* Hanc scripturam, quae in codicibus est, retinet Peter, cum Cotta *sed* ante prius *senatores* inculcare uelit, his uerbis coniecturam suam commendans: »An re uera putare nobis licet Capitolinum tam graue asyndeton sibi uindicasse? Tantam oratorii ingenii affectationem, tantas argutias in illo auctore fuisse nego.» At S. H. A. multum arti rhetoricae tribuisse constat. Praeterea *senatores* per anaphoram repetitum tantam uim accipit, ut certe asyndeton ferri possit[2]. Cf. p. 67 et n., ubi de tali asyndeto inter libera enuntiata admisso actum est.

Componuntur Ver. 4. 6 tres sententiae consecutiuae ita, ut priores per *et* nectantur, tertia sine ullo uinculo adiciatur, quo modo etiam liberas sententias iungi supra (p. 74) ostendimus[3], *fertur . . . in tantum uitiorum . . . fuisse aemulum, ut uagaretur*

[1] Simile est Suet. Tib. 2. 4 *adeo uiolentos et contumaces, ut ne capitis quidem quisquam reus apud populum mutare uestem aut deprecari sustinuerit, nonnulli in altercatione et iurgio tribunos plebi pulsauerint.*

[2] Simile exemplum e Vergilio laudari potest, ubi inter liberas sententias asyndeton cernitur Aen. II 601 sqq. *Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacaenae /culpatusue Paris, diuum inclementia, diuum/ has euertit opes sternitque a culmine Troiam.*

[3] Cf. etiam Tac. Ann. XV. 74 (364. 19), quod exemplum exscripsi p. 83 n.

nocte per tabernas ac lupanaria obtecto capite cucullione uulgari uiatorio et comisaretur cum triconibus, committeret rixas, dissimulans quis esset, saepeque efflictum liuida facie redisse[t] *et in tabernis agnitum, cum sese absconderet.* Facillime error, quo *redisset* pro *redisse* scriptum est, propter alias formas in *t* exeuntes oriri potuit[1]. Parum autem eleganter uerba *saepeque efflictum* e. q. s. cum *fuisse aemulum* iuncta sunt, cum melius cum sententiis consecutiuis composita essent.

Sententiae causales componuntur Pert. 2. 9, *doluitque palam Marcus, quod senator esset, praef. praet. fieri a se non posset.* Contra Petervm *et* post *esset* interponentem asyndeton uindicare uelim, quod propterea minus offensioni est, quod *senator* et *praef. praet.* inter se opponuntur. Illi autem exemplo, e quo exorsus sum, hic locus eo similis est, quod in posteriore enuntiato *igitur* audiri potest.

Incertior hic locus est, Gall. 12. 6, ubi sententiae concessiuae copulantur: *Scythae nauibus factis Heracleam peruenerunt atque inde cum praeda in solum proprium reuerterunt, quamuis multi naufragio perierint, nauali bello superati sint.* Posterius enuntiatum uncis inclusit Peter, cui Novák (p. 33) adstipulatur, haec uerba ex 13. 7 *(Veneriano item duce nauali bello Gothi superati sunt)* huc translata existimans. Alii haec uerba retinuerunt, uocem aliquam addentes, Salmasivs (p. 287) atque Iordan et Eyssenhardt *multi* ante *nauali*, Petschenig (I p. 385) *aut*, Bitschofsky *-ue*; Lessing autem et cum Petschenigio facit (Lex. p. 643 b) et cum Salmasio (p. 372 b). Potuerunt quidem, id quod difficile est et monstrare et refellere, illa uerba ex altero loco falso iterari uel e margine assumi. Nonnumquam tamen a S. H. A. eadem res iterum aut saepius narratur[2]. Fieri igitur posse concedendum est, ut haec

[1] Eodem lapsu formae coniunctiui imperfecti uel plusquamperfecti pro infinitiuis scriptae sunt Pesc. 4. 7, 11. 3 *(esset* pro *egisse)*, Opil. 6. 3, Heliog. 30. 8, Alex. 23. 2, Gord. 29. 4(?), Claud. 5. 5. A manu posteriore *t* littera deleta est Hadr. 25. 1, Marc. Ant. 14. 5, Alb. 6. 8, Max. Balb. 12. 8, Trig. tyr. 21. 1. Formae in *-ent* exeuntes pro infinitiuis in *-e* exeuntibus exstant Alb. 11. 1, Heliog. 35. 3, Carac. 9. 5 *(negant potuissent* pro *negent potuisse)*. Get. 4. 3 ex *haberet complures* facit Peter *habere ait: Tum plures.* Tac. 4. 1 *cum Tacitus . . . sententiam incertam quam uellet diceret* traditur, ubi Peter *incertum* et *dicere* substituit. — Cf. *t* litteram contra a librario omissam in formis coniunctiui (p. 109 n. 1).

[2] Cf. hos locos: Alex. 14. 7 *fecit cuncta cum matre*, quod repetitur 60. 2: *Egit omnia ex consilio matris, cum qua occisus est.* Vncis obliquis, <—>,

uerba ab ipso scriptore posita sint. Particulam uero patet non necessariam esse, siue disiunctiuam siue copulatiuam malis. Neque *multi* necesse est repeti, cum hoc semel iam positum etiam ad posterius membrum referri possit. Cum autem non nihil illi sententiae refragetur, qua illa uerba pro genuinis habentur, hunc locum recte se habere non pro certo affirmare ausim[1].

Peter priorem locum aliunde sumptum esse significat. — Ant. P. 2. 2 *et qui merito Numae Pompilio ex bonorum sententia conparatur*, 13. 4 *et qui rite comparetur Numae.* — Comm. 8. 5 *appellatus est etiam Romanus Hercules, quod . . .*, 8. 9 (senatus) *Commodum Herculem et deum appellans.* Cf. etiam 9. 2 *accepit statuas in Herculis habitu, eique immolatum est ut deo*, quae uerba Peter eisdem uncis circumscribit. — Alex. 25. 1 *huius imperium incruentum quidam litteris tradiderunt, quod contra est*, 52. 2 *ἀναίματον imperium eius . . . idcirco uocatum est, quod . . .*; utrumque exemplum alieno loco insertum notat Peter, ut haec quoque, Marc. Ant. 15. 2 *multum sane potuerunt liberti sub Marco et Vero Geminas et Agaclytus*, Ver. 9. 3 *liberti multum potuerunt apud Verum, ut in uita Marci diximus. Geminas et Agaclytus.* — Ter hoc narratur: Opil. 3. 5 (Gordiani) *Antonii dicti sunt non Antonini*, Heliog. 18. 1 *qui Antonii dicti sunt non Antonini*, 34. 7 *Antonii dicti sunt non Antonini.* Similiter se habent hi loci, quos Peter uncis obliquis designat, Gord. 4. 7 *tantum autem Antoninos dilexit, ut sibi quoque, ut multi dicunt, Antonini, ut plerique autem adserunt, Antonii nomen adscripserit*, 9. 5 *In plurimis autem libris inuenio* (Gordianos) *Antoninos cognominatos, in aliis uero Antonios.* Quare hunc quoque locum sanum esse puto, quem Peter uncis quadratis saepsit, Gord. 17. 1 *ut nonnulli, ab Antoninis, ut plurimi, ab Antoniis duxit.* Non enim inepte hoc in initio capitis de Gordiano iuniore iteratur. Gord. 23. 1 *Dexippus quidem adseuerat ex filio Gordiani tertium Gordianum esse natum*, quod Peter e textu eiecit, quia idem fere iam 19. 9 dictum sit: *contra Dexippus putat eius filium esse Gordianum tertium, qui post hocc . . . puerulus est adeptus imperium.*

Itidem, quod narratur Maximin. 33. 1, *tanta fide Aquileienses contra Maximinum pro senatu fuerunt, ut funes de capillis mulie<b>ribus facerent, cum deessent nerui ad sagittas emittendas*, iterum legitur Max. Balb. 11. 3. *qui etiam crinibus mulierum pro neruis ad sagittas emittendas <usi e>sse dicuntur*, atque Max. Balb 16. 5 *addit* (Dexippus) *praeterea, <tantum> contra Maximinum Aquileiensium odium fuisse, ut de crinibus mulierum suarum arcubus neruos facerent atque ita sagittas emitterent.* Etiam hos locos aliunde sumptos Peter notat.

[1] Maximin. 3. 1, ubi sententiae finales per *ac* iunctae sunt, Peter autem *et* immisit, textum seruandum esse puto. Legitur in libris manu scriptis: *iussitque statim tribuno, ut eum coherceret ac Romanam disciplinam inbueret.* Scripsit Peter *<et> ad Rom. disc.*, Lessing (Lex. p. 180 b) cum Aem. Baehrensio (Neue Jahrbücher 133 (1886) p. 218) *ac Romana disciplina.* At nescio an *inbuere* cum accusatiuo rei eodem modo ac *docere* iungatur. Cf. Tac. Hist. V. 5 (206. 25) *nec quidquam prius inbuuntur quam contemnere deos.* De talibus

Lessing (Lex. p. 373 b) Alex. 18. 2 coniecturam necessariam esse sibi non persuasit, ubi hoc traditum est: *iussitque (quem ad modum in Eleusinis sacris dicitur, ut nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem nouit) per praeconem edici, ut nemo salutaret principem, qui se furem esse nosset; aliquando detectus capitali supplicio subderetur.* Ante *aliquando* autem Peter aliique *ne* interposuerunt. Equidem facere non possum, quin putem hac uel alia particula careri posse. Nam profecto potest in oratione laxiore haec sententia cum praecedenti sententia finali, qua uetitum principis continetur, necti, cum *subderetur* libero coniunctiuo uel imperatiuo sermonis directi respondeat. Atque non inepte hoc modo huic *aliquando detectus* maius pondus tribuitur[1].

structuris u. Löfstedt in Erani uol. VIII p. 102, ubi hunc locum restituit, Aurel. 47. 1 *Panibus urbis Romae unciam de Aegyptio uectigali auxit.* — Tradita scriptura utroque loco a Iordano et Eyssenhardtio retinetur.

Gall. 11. 7 melius particulam, quae facile excidere potuit, inter sententias temporales, quia inaequales sunt, inseri cum Petero existimo: *nam cum fratrum suorum filios iungeret* <*et*> *omnes poetae Graeci Latinique epithalamia dixissent idque per dies plurimos, ille, cum manus sponsorum teneret, ut quidam dicunt,* σκωπτικῶς *ita dixisse fertur: . . .*

[1] Cum sententiis secundariis dissolute iunctis conferendi sunt infinitiui eodem modo compositi, de qua re egi p. 51 Idem usus apud alios scriptores inuenitur. Certe Taciti consuetudo a nostris historicis non abhorret. Cf. Ann. III. 21 (96. 15) *postquam* (Tacfarinas) *deflexit ad maritimos locos, inligatus praeda statiuis castris adhaerebat, missu patris Apronius Caesianus . . . prosperam aduersus Numidas pugnam facit.* Item sententiae temporales nectuntur Hist. III. 13 (110. 23), *sed ubi totis castris in fama proditio* (sc. erat), *recurrens in principia miles praescriptum Vespasiani nomen, proiectas Vitellii effigies aspexit, uastum primo silentium, mox cuncta simul erumpunt.* — Ann. IV. 68. (161. 2) *et postquam Sabinus . . . effudit lacrimas, iunxit questus, audentius iam onerat* (Latiaris) *Seianum.* — Enuntiata finalia componuntur: Ann. II. 36 (59. 31) *nam censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda, utque legionum legati, qui ante praeturam ea militia fungebantur, iam tum praetores destinarentur, princeps duodecim candidatos in annos singulos nominaret.* — Ann. XV. 23 (337. 21) *et certamen ad exemplar Actiacae religionis decretum, utque Fortunarum effigies aureae in solio Capitolini Iouis locarentur, ludicrum circense . . . apud Antium ederetur.* — Simile est Ann. XV. 74 (364. 19) *Tum* [decreta] *dona et grates deis decernuntur . . .; utque circensium Cerialium ludicrum . . . celebraretur mensisque Aprilis Neronis cognomentum acciperet; templum Saluti extrueretur eo loci * * ex quo Scaeuinus ferrum prompserat.* Quo loco sententia additur post duas particula copulatiua iunctas eodem pacto quo Ver. 4. 6 (u. p. 80 sq.).

Inter exempla asyndeti apud Panegyricos Latinos Baehrens in indice editionis suae hunc locum, I. 32. 2 (28. 23), indicat, ubi enuntiationes finales

CAP. V.

De confusis particulis copulatiuis et disiunctiuis.

In inferiore aetate discrimen interdum non cernitur, quod inter particulas copulatiuas atque disiunctiuas obseruari solet, id quod non modo e particulis huius et illius generis simul positis elucet sed etiam e disiunctiuis pro copulatiuis adhibitis contraque his pro illis.

1. Varietas sermonis quaedam, ut huic primum rei operam demus, particulis diuersi generis iuxta positis efficitur. De quo usu agunt Kühner et Stegmann II p. 112.

Apud S. H. A. haec exempla inspicias quaeso: Helius 5. 10 *eosque* (cursores) *uentorum nominibus saepe uocitauit, Boream alium, alium Notum et item Aquilonem aut Circium ceterisque nominibus appellans.* — Heliog. 29. 2 *iunxit et quaternas mulieres pulcherrimas et binas ad pabillum uel ternas et amplius.* — Gord. 5. 5 *ita ut eum alii Scipionem, Catonem alii, multi Mucium ac Rutilium aut Laelium dicerent.* — Aurel. 3. 5 *aut eo minores inuenientur Aristoteles Stagirites Eleatesque Zenon aut Anacharsis Scytha, quod in minimis nati sunt uiculis . . .?* — Tac.

---

iunctae sunt. Addo ex eodem panegyrico 32. 3 (29. 2) *et solum illud et flumen ipsum precor, ut . . . molli gremio semina recondat, multiplicata restituat* et Paneg. VI. 20. 1 (216. 30) *uictoriam distulisti, ut omnibus tibi liceret ignoscere, ne quid atrocius faceret miles iratus, quam clementiae tuae natura pateretur,* quo loco Baehrens asyndeton ferendum esse annotauit, quamquam mihi alia explanatio, qua posterior sententia finalis priori subiuncta est, omnino non respuenda esse uidetur. — Idem l. l. dissolutionem indicat XI. 8. 3 (282. 1), ubi *siquidem* in initio prioris enuntiati positum est.

V. etiam exempla sententiarum secundariarum uarii generis apud Luciferum dissolute iunctarum, quae ab Hartelio in indice p. 354 (C. S. E. L. XIV) annotata sunt.

1. 2 *interreges tamen facti sunt, totusque ille annus per quinos et quaternos dies siue ternos centum senatoribus deputatus est*[1].

2. Disiunguntur interdum notiones, cum copulationem exspectes. Quo modo saepe particulas *uel — uel* pro *et — et* usurpari monstrant cum Schmalz p. 502 tum Cotta p. 35 hunc usum apud S. H. A. illustrans. Löfstedt (Per. Aeth. p. 197 sqq.) hanc consuetudinem sermonis eo explanat, quod saepe diuersa ratione notionum nexus exprimi possit, uel quod e parum subtili siue, ut dicitur, logica definitione orta sit particularum confusio. Frequentius autem particulae disiunctiuae pro copulatiuis in sententiis negatiuis usurpantur, quam ut id genus exempla hoc loco commemorem.

Vindicauit iam Petschenig (III p. 360) Ant. P. 9. 1, *Romae incendium, quod trecentas quadraginta insulas uel domos absumpsit*, coniecturam Iordani *et* pro *uel* substituentis respuens, ut etiam Löfstedt (Per. Aeth. p. 198). Nititur ille hoc loco, Trig. tyr. 30. 8 (ep.) *nec ego illi* (Zenobiae) *uitam conseruassem, nisi eam scissem multum Romanae rei publicae profuisse, cum sibi uel liberis suis orientis seruaret imperium*, ubi tamen illud *uel* per »oder« reddi potest. Aliis uero non paucis exemplis eadem ratio uel scribendi uel loquendi illustratur.

Marc. Ant. 10. 4 *multis equitibus uel pauperibus sine crimine senatoribus dignitates tribunicias aediliciasque concessit.* — Ver. 6. 5 *in huius equi gratiam primum coeperunt equi⟨s⟩ aurei uel brabia postulari.* — Seuer. 6. 8 *cuius edicta et litteras ad populum uel senatum intercepit per eos, qui missi fuerant, ne uel proponerentur populo uel legerentur in curia.* — Seuer. 17. 4

---

[1] Ab hoc usu alios scriptores non abhorruisse cognoscitur etiam e Thes. II. 1571. 21 sqq. et 1572. 24 sqq. Locis autem eis, qui e Tacito assumpti sunt (1572. 51 sqq.), particularum uarietas propter membrorum dissimilitudinem minus offendit. Ut Ann. IV. 29 (139. 10) *robur et saxum aut parricidarum poenas minitantium* postrema notio generalis est, quae priores complectitur. Licet melius exemplum ex hoc scriptore ostendere, Agr. 33 (270. 19) *cum uos paludes montesue et flumina fatigarent* . . .

Cf. etiam Lucif. Athan. 2. 30 (p. 201. 22) *triplex per te homicidam atque sacrilegum incurrebant crimen, siue quod innocentem damnarent siue quod catholici haereticis communicarent et in gregem dei lupos intrare sinerent*, ubi duo membra una sententia comprehenduntur. In exemplis autem a Petschenigio in indice Cassianeo (C. S. E. L. XVII, p. 454) sub titulo »coniunctionum uarietas« collectis responsionem per *nec-neque* indicatam mentione non dignam fuisse puto. Ceteris locis particulae uariae ad sermonem distribuendum ualent, non membra aequa lege iungunt.

iucundam sibi peregrinationem hanc propter religionem dei Sarapidis . . . et propter nouitatem animalium uel locorum (*bello eorum* PB) *fuisse Seuerus ipse postea semper ostendit.* — Carac. 7. 5 *unde, quamuis Graeci uel Aegyptii eo genere, quo feminam hominem, etiam Lunam deum dicant, mystice tamen deum dicunt.* — Get. 4. 4 *et optinuisset eius sententia, nisi Plautianus praefectus uel Iuuenalis institissent spe proscriptionum, ex quibus ditati sunt.* — Pesc. 11. 2 *tantum denique belli tempore ratione militibus demonstrata sibi et seruis suis uel contubernalibus putauit* (*portauit* P), *quantum a militibus ferebatur,* quo loco artius inter se iunguntur *seruis suis* atque *contubernalibus.* — Gord. 7. 3 *coeperunt cogitare, quemadmodum seditio inter Maximinianos et rusticos uel Afros orta placaretur.* In posteriore membro inter se componuntur notio specialis, *rusticos*, et generalis, *Afros.* Cf. p. 3. — Comm. 5. 13 *et nonnulli per prouincias a Perenni ob diuitias insimulati spoliati sunt uel etiam interempti.*

Ad sententias interrogatiuas nectendas *uel* particula paulo aptior uidetur: Maximin. 25. 1 *Interest scire, quale senatus consultum fuerit uel qui dies urbis, cum est nuntiatus interemptus Maximinus.*

Particula *ue* occurrit: Tac. 13. 1 *Et prima quidem illi cura imperatoris facti haec fuit, ut omnes, qui Aurelianum occiderant, interimeret, bonos malosue,* »alle Mörder Aurelians, gute wie schlechte», CLOSS[1];

[1] Neque hic usus particularum *uel* et *ue* ab aliis scriptoribus ac ne a Cicerone quidem (cf. STANGL in Rhein. Mus. uol. 70 (1915) p. 231 sq.) alienus est atque a uiris doctis saepe tractatus. V. RÖNSCH, Itala und Vulgata, Marburg 1869, p. 345; WÖLFFLIN, Cass. Fel. p. 428; RÖNSCH, Semasiolog. Beit. II, Leipzig 1888, p. 85 sq.; LÖFSTEDT (Per. Aeth. p. 197 sqq.) atque indices PETSCHENIGII exempla apud Victorem Vitensem (C. S. E. L. VII, p. 172) et apud Cassianum (C. S. E. L. XVII p. 524) continentes, HARTELII apud Ennodium (C. S. E. L. VI p. 717) et apud Luciferum (C. S. E. L. XIV p. 378), HVEMERI apud Sedulium (C. S. E. L. X p. 410), MOMMSENII apud Cassiodorum (M. G. H. XII p. 593). In hos tamen indices exempla nonnulla, quae secernenda fuerunt, irrepserunt. V. denique BONNET p. 315.

De *ue* pro *que* usurpato cf. HARTEL (C. S. E. L. XIV p. 378), BAEHRENS (Praef. p. 73). Conferantur etiam hi loci: apud Tacitum Germ. 4 (224. 23) *minimeque sitim aestumque tolerare, frigora atque inediam caelo soloue assueuerunt.* — Hist. II. 38 (70. 33) *sed ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusue excisis securas opes concupiscere uacuum fuit, . . .* — IV. 73 (195. 26) *quot proeliis aduersus Cimbros Teutonosque, quantis exercituum*

siue: Marc. Ant. 23. 8 *idem Marcus sederi in ciuitatibus uetuit in equis siue uehiculis*[1];

aut: Carus 6. 2 (ep.) *Felix autem esset nostra res p., si, qualis Carus est aut plerique uestrum, plures haberem in actibus conlocatos.* Non est, cur aliter scribendum sit, quamquam Damsté (Mnem. 1911 p. 240) *et plerique* mauult scribere[2];

aut — aut reperimus Alex. 40. 8 uices particularum *et — et* sustinentes: *praetextam et pictam togam numquam nisi consul*

---

nostrorum laboribus quoue euentu Germanica bella tractauerimus, satis clarum. Inter sententias autem interrogatiuas usus particulae disiunctiuae paulo magis naturae ac rationi sermonis congruit. — V. 10 (210. 11) *simul manere aput exercitus Titum ad omnes principatus noui euentus casusue utile uidebatur.* — Ann. XV. 47 (349. 12) *bicipites hominum aliorumue animalium partus abiecti in publicum.* — Ann. III. 57 (114. 9) *dixitque pro sententia, ut publicis priuatisue monimentis ad memoriam temporum non consulum nomina praescriberentur, sed eorum qui tribuniciam potestatem gererent,* ubi negatio ad unam tantum uocem, non ad totam sententiam pertinet.

Apud Suetonium similis est locus Cal. 40, *additumque ad caput legis, ut tenerentur publico et quae meretricium quiue lenocinium fecissent.*

Vel pro *et* usurpatum occurrit: Apul. Met. III. 23 (p. 69. 7 Helm) (ego) *quamuis ipsius aquilae sublimis uolatibus toto caelo peruius et sup[p]remi Iouis certus nuntius uel laetus armiger.* — Eiusdem generis hoc exemplum est, quod Baehrens in editione sua Panegyricorum Latinorum uindicat: XI. 3. 2 (276. 22) *Profecto enim non patitur hoc caelestis ille uestri generis conditor uel parens.* Cum hoc loco confert Paneg. XI. 7. 5 (280. 28) *At enim quanto hoc est admirabilius uel pulchrius quod . . .?* In interrogatione autem *uel* minus offendere uidetur. — Haec ex Orosio addo: Hist. IV. 20. 35 *itaque cum . . . inaestimabilis hominum uel equorum multitudo transiret, . . .* — VI. 11. 27 *ab oppugnatione turris uel demolitione aggeris recesserunt.* Cf. denique Bened. Reg. 37 *De senibus uel infantibus.*

Exempla particularum *uel — uel* pro *et — et* usurpatarum collegit Lessing p. 711 a. Apud alios scriptores exempla indicant Petschenig (apud Cassianum) l. l. Rönsch l. l., Löfstedt l. l., Bonnet l. l., Linderbaver p. 130.

[1] De *seu, siue* u. Kühner et Stegmann II p. 439 ann. 9, Wölfflin (Cass. Fel. p. 428), Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten der lat. Sprache, Erlangen 1882, p. 138, Rönsch, Semasiologische Beiträge II, Leipzig 1888, p. 82 sq., Bonnet p. 315, Löfstedt, Per. Aeth. p. 198. Exempla Cassianea a Petschenigio (C. S. E. L. XVII p. 514, 515) enumerantur.

[2] De *aut* pro *et* adhibito cf. Thes. uol. II 1575. 72 sqq., Dombart, qui locos Commodianeos in indice C. S. E. L. XV p. 200 collegit, Martin p. 15, Löfstedt, Per. Aeth. 199 sq.

Codicibus fides habenda esse uidetur Plin. Paneg. 45. 2 (39. 27) *bonos autem* (sc. ciues) *otio aut situ abstrusos et quasi sepultos,* ubi W. A. Baehrens pro *aut* coniecit *ac.*

accepit, et ea⟨m⟩ quidem, quam de Iouis templo sumptam alii quoque accipiebant aut praetores aut consules[1].

3. Cum igitur uoculae disiunctiuae frequenter pro copulatiuis adhibeantur, licet suspicari contra particulas has, ubi illae exspectentur, poni. Quod et apud alios et apud nostros scriptores inuenimus. Huius enim generis est hic locus, Gall. 17. 3 *saepe ad tibicinem processit, ad organum se recepit, cum processui et recessui cani iuberet*, ubi *et* uoci, quae est »beziehungsweise», respondet. Damsté (Mnem. 1911 p. 226) *et* in *aut* mutauit, in quo uereor ne nemo eum sequatur[2].

Ex illis exemplis, de quibus supra actum est, eos locos seorsum excepi, ubi numeralia, ut numerum incertum indicent, uel copulantur uel disiunguntur, cum hos separatim tractari rei prosit. In nostra autem lingua particula per *eller* et *à*, interdum etiam per *och* reddi potest.

---

[1] Exempla, ubi *aut — aut* pro *et — et* inueniuntur, enumerantur in Thes. tom. II. 1575. 78 sqq. Inspicias etiam Martinvm (p. 43) et Löfstedtivm (Per. Aeth. p. 197). Duo apud Victorem Vitensem exempla indicantur a Petschenigio (C. S. E. L. VII p. 151).

[2] De particula copulatiua loco disiunctiuae posita egit Baehrens in Erani uol. XIII p. 23 sq. Conferas uelim etiam hos locos: Suet. Aug. 65. 3, sicut traditum est, legendum esse censeo: *neque adiri a quoquam libero seruoque nisi se consulto permisit*. Legit autem Ihm *seruoue*. Item seruari debet Dom. 12. 1 *satis erat obici qualecumque factum dictumque aduersus maiestatem principis*, ubi Ihm *que* in *ue* mutat. Eodem pacto lectionem plurium librorum cum Ihmio recipiendam esse existimo Dom. 13. 2, *unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cuiusquam appellaretur aliter* (*aut* GN). — Cf. Tac. Ann. XII. 41 (241. 8) *optimum quemque educatorem filii exilio ac morte afficit*. Andresen *aut* scripsit duobus similibus locis nisus, cum equidem alia exempla ad hunc locum mutandum non satis ualere putem.

Plin. paneg. 44. 8 (39. 15) codicum lectio restituenda est: *Pauci adeo ingenio ualent, ut non turpe honestumque, prout bene ac* (*aut* ed.) *secus cessit, expetant fugiantue*. Sermone nimis coartato idem dicitur, quod pluribus uerbis sic dicendum esset: *ut non honestum, si bene cessit, expetant fugiantque turpe, neque turpe, si secus cessit, expetant fugiantque honestum*. Itidem illi sermonis breuitati saepe indulsit Tacitus, ut post duas notiones connexas alterae duae inter se compositae ponantur, tali modo ut priorum altera posteriorum alteram respiciat (u. Spitta p. 12 sq. et 32). In posteriore membro potest et copulatiua particula et disiunctiua uoces coniungere. Exempli gratia hi loci laudentur: Hist. II. 46 (75. 14) *quas inter uoces ut flexerat uoltum aut indurauerat Otho, clamor et gemitus*. Hic *et* commode per »beziehungsweise» redditur. — III. 2. 5 (117. 3) . . . *ut quos* (milites) *nullo rectore suus quemque impetus uel pauor contraheret* <di>*duceretue*.

1. Multis locis *uel* ponitur, e quibus exempli causa commemoro: Maximin. 12. 1 *Ingressus igitur Germaniam Transrenanam per triginta uel quadraginta* (*trecenta uel quadringenta* PB) *milia barbarici soli uicos* ⟨*incendit*⟩. — Gall. 17. 4 *lauit ad diem septimo aestate uel sexto; hieme secundo uel tertio.* — Aurel. 43. 3 *colligunt se quattuor uel quinque atque unum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt.* — Prob. 8. 3 (equus) *qui ... centum ad diem milia currere diceretur, ita ut per dies octo uel decem continuaret.*

2. Similiter *aut* ponitur Alex. 44. 9: *in templis sane numquam praeter quattuor aut quinque argenti libras ... posuit.*

3. Copulatiuam autem particulam his locis inuenias: Hadr. 9. 7 *aegros bis ac ter die ... uisitauit.* — Alex. 39. 10 ... *cum diceret plus largiendi hanc esse imperatori causam, si, cum multos solidos minores dare possit, dans decem uel amplius una forma triginta et quinquaginta et centum dare cogeretur.* — Alex. 59. 1 *ad Germanicum bellum profectus est deducentibus cunctis per centum et centum quinquaginta milia.* — Maximin. 4. 7 (uerba principis) *Diceris* (*dicens* P), *Maximine, sedecim et uiginti et triginta milites aliquando lassasse*[1].

[1] Cf. Hor. Carm. I. 31. 13 *dis carus ipsis quippe ter et quater | anno reuisens aequor Atlanticum | inpune.* (De *ter quater* dissolute iunctis cf. O. Kelleri Grammatische Aufsätze, Leipzig 1895, p. 43 et Prevss p. 48, de *bis ter* idem p. 49.) — Cf. etiam Tac. Dial. 17 (297. 13) *se a diuo quoque Augusto semel atque iterum accepisse congiarium narrabant* atque Gvdeman p. 303, qui exempla indicat iuncturarum *semel atque iterum, semel iterumque, semel aut iterum.* — De locutionibus, quae sunt *semel et (ac) saepius* atque *semel saepius*, u. Prevss p. 33, de bimembri dissoluto *sex septem* Keller l. l p. 42 et Prevss p. 50.

De numeralibus autem cardinalibus per *et* iunctis, ut incertum numerum indicent, loquitur Löfstedt (Per. Aeth. p. 200). De *an* hoc modo usurpato u. Thes. II. 7. 26 sqq.

Liceat mihi pauca subiungere de iunctura illa a Latinis multis modis uariata uocum *unus* atque *alter*, de qua cf. Prevss p. 49, Gvdeman p. 244. Thes. I. 1743. 25 sqq., II. 1071. 3 sqq.

Tac. Dial. 21. 1 (301. 3) textum critici mutarunt, nescio tamen an non recte: *ipse mihi Caluus, cum unum et uiginti, ut puto, libros reliquerit, uix in una et altera oratiuncula satis facit*, ubi Pvteolano duce Andresen et Gvdeman (p. 343) *una aut altera* scribunt. Dicit enim Gvdeman semper disiunctiuam particulam post *uix* adhiberi. Cf. tamen Suet. Galb. 14. 3 *ciuitates R. raro dedit, iura trium liberorum uix uni atque alteri ac ne is quidem nisi ad certum praefinitumque tempus.*

Non est, cur asyndeton offensioni sit Suet. Cal. 56. 1, *sed una altera conspiratione detecta ... duo consilium communicauerunt perfeceruntque.*

Saepius *et* particula inter numeralia distributiua ponitur: Ant. P. 5. 3 *fuitque ea constantia, ut septenis et nouenis annis in prouinciis bonos praesides detineret.* — Gord. 19. 3 *ex quibus omnibus* (concubinis) *ternos et quaternos filios dereliquid.* — Claud. 8. 6 (ep.) *tantum mulierum cepimus, ut binas et ternas mulieres uictor sibi miles possit adiungere.* — Aurel. 26. 4 (ep.) *nulla pars muri est, quae non binis et ternis ballistis occupata sit.* — Prob. 14. 7 *quos omnes* (tyrones) *per diuersas prouincias sparsit, ita ut numeris uel limitaneis militibus quinquagenos et sexagenos intersereret.*

Particulae geminantur Gall. 18. 1: *Fuit tamen nimiae crudelitatis in milites, nam et terna milia et quaterna militum singulis diebus occidit.* Altera tamen ratione hic locus explanari potest, cum fieri possit, ut prius *et* cum *nam* cohaereat eo modo, qui infra explicabitur p. 96 sqq., quamquam *et* — *et* alterum alterum respicere mihi magis placet. Hic autem usus particularum *et* — *et* mori suetico respondet, cum dicimus »både tre och fyra». Cf. Gord. 6. 6 *lauandi cupidus, ita ut et quarto et quinto in die lauaret aestate, hieme secundo.* His locis hae particulae ad numeralia grauiter efferenda ualent.

4. Inter hanc rationem particulae copulatiuae adhibendae et asyndeti usum non multum interest. Quare inducor, ut traditam scripturam amplectar Maximin. 12. 6 (ep.): *per quadraginta quinquaginta milia Germanorum uicos incendimus*, ubi Peter aliique *uel* ante *quinquaginta* inculcarunt. Cf. Kühner et Stegmann II p. 151 locutionesque, quarum p. 89 n. mentio facta est: *sex septem, bis ter, ter quater.* Moneo nos quoque compari ratione dicere »två, tre stycken» sim. In eiusdem capitis initio (u. p. 89), ubi eadem res narratur, alii numeri particula *uel* disiunguntur, *triginta uel quadraginta.* Hoc igitur loco maior numerus fortasse rei augendae causa indicatur, cui asyndeton magis conuenit.

Lectionem enim difficillimam codicis Memmiani praefero; alii codices *una et altera* G*II*Q et *una alteraque* (R codd. stirpis X) exhibent, Ihm autem *una atque altera* scribit; cf. Thes. I. 1743. 66 sq., ubi haec exempla indicantur: Cic. Verr. V. 76 *unum alterum mensem, prope annum denique domi tuae piratae . . fuerunt;* Plin. ep. IX. 10. 3 *Oratiunculam unam alteram retractaui.* Praeterea attendas Curt. V. 7. 4 *unus alter et ipsi mero onerati adsentiuntur.*

CAP. VI.

De *et* aequalitatem uel responsionem quandam sententiarum notante.

I. De *et* in sententiis correlatiuis adhibito.

Sicut Graeci *καὶ* particula utuntur, ut in sententiis comparatiuis aliisque responsionem quandam atque aequabilitatem sententiarum cum primariarum tum secundariarum demonstrent (u. KÜHNER et GERTH II: 2 p. 256), ita scriptores Latini interdum in sententiis mutuo se respicientibus *et* adhibent[1]. Huius usus exempla ex his scriptoribus mihi in animo est in medium proferre. Hanc uero consuetudinem sermonis LESSING ignorasse uidetur, qui in lexico suo tales locos sub uariis titulis aliis exemplis mixtos recepit, plerisque autem praemisit titulum "sine ulla grauitate additur, interdum nulla certa notione".

Saepissime *et* in sententiis relatiuis post *idem* uel *is* reperitur: Marc. Ant. 17. 6 *tunc uiris clarioribus permisit, ut eodem cultu quo et ipse uel ministris similibus conuiuia exhiberent.* — Comm. 10. 2 *quia eundem diem natalis habuerat quem et Caligula.* — Diad. 5. 4 *natus est praeterea natali Antonini et ea hora et signis prope concinentibus quibus et Antoninus Pius.* — Trig. tyr. 24. 4 *senatorem p. R. eundemque consularem . . . per triumphum duxit eodem tempore quo et Zenobiam.* — Aurel. 50. 3 *seruis suis uestes easdem imperator quas et priuatus dedit.* — Alb. 1. 4 *nolens intellegi 'Pessimus Albus', quod eodem uersu continebatur, quo et Seueri laus et adprobatio Nigri Pescennii.* LESSING (Lex. p. 179 b) haec duo *et* inter se respondere putat, mihi autem prius *et* potius

[1] V. VAHLENII Opuscula Academica (II p. 120), LÖFSTEDT (Per. Aeth. p. 43). HERAEVS ad Liu. XLI. 14. 6 (Liuius ed. Weissenborn-Heraeus V: 2, Leipzig 1912, p. IV), LÖFSTEDT (Tert. II p. 92 sqq., Tert. III p. 25 sqq.), THÖRNELL (Tert II p. 74 sqq.), LINDERBAVER p. 335.

enuntiatorum aequalitatem notare uidetur; et idem de hoc loco iudico, Alex. 31. 4 *eiusque imaginem cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuit, ubi et Achillis et magnorum uirorum*[1].

In sententia primaria, cui sententia relatiua applicatur, *et* collocatur Heliog. 30. 6 *quem* (missum, i. e. ferculum »Gang») *quo anno Sybaritae reppererunt, et perierunt*[2].

Et in sententia secundaria et in primaria *et* occurrit Hadr. 11. 6: »*Num et tibi uxor mea, quod et mihi, scripsit?*»

In sententia primaria comparatiua idem usus apparet Alex. 10. 3 (accl.): *Quomodo Augustus, sic et Antoninus*[3].

---

[1] Cf. Suet. Tib. 58 *perit denique et is, qui honorem in colonia sua eodem die decerni sibi passus est, quo decreti et Augusto olim erant.* — Cassiod. uar. I. 4. 12 *quae* (legatio) *tantum est gratanter excepta, quantum et uidebatur optata.* — uar. IX. 12. 3 *quia hoc est propria delicta corrigere quod et non facere.*

[2] Cf. Petron. 58 (154. 5 Friedländer) *plane qualis dominus, talis et seruus.* — Apul. Met. IX. 36 (230. 15 Helm) *quod oleum flammae, quod sulpur incendio, quod flagellum Furiae, hoc et iste sermo truculentiae hominis nutrimento fuit.* — Persson in seminario philologico hunc locum attendi iussit, Paneg. II. 5. 4 (94. 4) *cum . . ., quantum tota res publica habet hostium, tantum una familia ostenderet et triumphorum*, ubi Baehrens iniuria *et* secludere uidetur, quamquam facile per dittographiam oriri potuisse non nego.

[3] Cf. Apul. Met. I. 12 (11. 5 Helm) *nam ut lacrimae saepicule de gaudio prodeunt, ita et in illo nimio pauore risum nequiui continere.* — Paneg. XII. 13. 2 (299. 24), ubi diuersas lectiones codices Upsaliensis atque Harleianus exhibent, lectio illius ut difficilior praeferenda mihi uidetur, *Ut deus ille mundi creator et dominus eodem fulmine suo nunc tristes, nunc laetos nuntios mittit, ita et* (*ita* H, Baehrens) *eadem sub numine tuo tela inimicos aut supplices tuos pernicie aut conseruatione discernunt.* Eodemque modo *nec* aequalitatem notat Plin. paneg. 73. 3 (69. 15) *sed ut in tua potestate est an gaudeamus, ita in quantum nec in nostra.*

In sententia secundaria *et* occurrit Suet. Cal. 8. 3: *et qualiscumque partus sine ullo sexus discrimine puerperium uocetur, quod antiqui etiam puellas pueras, sicut et pueros puellos dictitarent.*

Eodem pacto *quoque* et *etiam* usurpantur: Gord. 3. 3 *scripsit praeterea, quemadmodum Vergilius Aeneidos et Statius Achilleidos et multi Alexandriados, ita etiam ille Antoniniados;* Max. Balb. 7. 7 *Denique nonnulli, quemadmodum Catonem et Caesarem Sallustius conparat, ita hos quoque conparandos* (*hunc quoque conparandum* PB) *putarunt.*

In hoc genus etiam referendum est Apul. Met. X. 31 (p. 262. 13 Helm), ubi *et* in sententia primaria, cui enuntiatio conditionalis applicata est, positum est: *pastori* (Paridi) *pollicetur, si sibi praemium decoris addixisset, et sese regnum totius Asiae tributuram.* De quo Kretschmann (De latinitate L. Apulei

Nonnumquam *et* tali ratione consensum et aequalitatem significat, ut sententiam uel rem cum re iam commemorata consentire et congruere ostendat uel duas res quodam modo cohaerere, uelut cum dicitur aliquid ita factum esse, ut exspectaretur. Alb. 9. 2 *responsum illi est . . . uenturum quidem in potestate eius Albinum sed non uiuum nec mortuum. quod et factum est.* Hoc loco *et* minime offendit. Cf. suet. »Så gick det också». Cotta (p. 31) particulam copulatiuam "ultra modum et usque ad taedium legentium usurpatam" existimauit. De hoc usu his uerbis disputat: "Neutro loco (i. e. hoc atque Heliog. 23. 5, de quo u. infra) 'etiam' subaudiendum est, sed 'et' fluxit ex sermone plebeio, quem minutis tenuibusque uerbis abundare constat, ut etiam nos tales particulas 'auch', 'ja' sermoni cottidiano immiscere consueuimus. Fortasse illud 'et' per 'sane' reddi potest, si leuissimam uim huic uoci licet attribui." Hoc mihi liceat annotare, particulam, quae illi hoc et similibus locis »prorsus digna, quae eiciatur,» uidetur, non otiosam esse et specie tantum abundanter usurpari ob eamque rem in uersione reddendam esse. Eius autem uices *sane* sustinere non uidetur. Altero autem loco, quem Cotta ad hunc usum illustrandum profert, *et* alio modo interpretandum esse puto (cf. p. 106).

Eundem loquendi modum agnosco Aurel. 1. 9: *Parui plane* (sic Petschenig, I p. 412, coniecit pro eo, quod traditum est, *parrumipiane*) *praeceptis, accepi libros Graecos et omnia mihi necessaria in manum sumpsi, ex quibus et, quae digna erant memoratu, in unum libellum contuli.* Sic recte traditum esse persuasum mihi habeo atque a Petero *ea* pro *et* praeter necessitatem substitutum esse.

Restat Alb. 2. 4 (ep.) *habebis praeterea, cum id feceris, dandi stipendii usque ad tres aureos liberam potestatem, quia et super*

Madaurensis, Diss. Regimonti 1865, p. 113) hoc dixit: »i. e. sese uicissim, quod additur Met. III. 19,» quo loco *et* nunc, postquam textus ab Helmio mutatus est, sententias connectit. Cf. tale *et* in sententia primaria sententiae causalis usurpatum, Paneg. IV. 33. 7 (183. 6 Bae) *quamquam cum ex singulis sit coa[u]gmentata res publica, et quicquid in eam confertur ad omnes pro portione permanat, et uicissim necesse est, quod singillatim omnes adipiscuntur in commune rei publicae redundare.*

In sententia temporali eadem aequalitas notatur Tac. Hist. II 33 (69. 5): *Otho, cui uni apud militem fides, dum et ipse non nisi militibus credit imperia ducum* <in> *incerto reliquerat*, ubi *ipse* uerbis *apud militem* opponitur.

hoc ad procuratores meos litteras misi. De altero imperio procuratoribus dato nihil ante dictum est; *et* igitur sententiam primariam indicat cum sententia causali consentire. Haec quoque annumeranda sunt: Marc. Ant. 19. 1 *Aiunt quidam, quod et ueri simile uidetur, Commodum Antoninum . . . non esse de eo natum.* — Alex. 4. 2 *ueste, ut et pingitur, alba usus est nec aurata.* — Alex. 42. 4 *iudices cum promoueret, exemplo ueterum, ut et Cicero docet, et argento et necessariis instruebat.* In eundem denique numerum refero Heliog. 30. 1 *Pinxit se ut coppedinarium, ut seplasiarium, ut popinarium, ut tabernarium, ut lenonem, idque totum domi semper et exercuit.* Lessing (Lex. p. 671 b) *id totum* per *omnes illas artes* explanat. Vertit Closs: »Seine Gemälde stellten ihn als Zuckerbäcker, als Salbenhändler, als Garkoch, als Weinschenk und als Hurenwirth dar, und diess waren auch die einzigen Beschäftigungen, die er in seinem Palaste trieb.»

In sententiis negatiuis item *et* occurrit[1]. Auid. 3. 1 *Sed nos hominis naturam et mores breuiter explicabimus. neque enim plura de his sciri possunt, quorum uitam et inlustrare nullus audet eorum causa, a quibus oppressi fuerint.* — Maximin. 17. 3 *putabat autem, quod, si ille Romae fuisset, et nihil ausurus esset ⟨senatus⟩.* Sic Peter quoque. Verto: ». . . wenn jener in Rom gewesen wäre, dann hätte der Senat auch nichts gewagt.» Lessing (Lex. p. 180 b) frustra *et* eicere uult.

Hadr. 4. 6,7 *et* particula in sententiis temporalibus adhibita declarat interiore quadam ratione illas et sententias primarias inter se contineri: *quintum iduum August. die⟨m⟩ legatus Suriae litteras adoptionis accepit, quando et natalem adoptionis celebrari iussit. tertium iduum earundem, quando et natalem imperii statuit celebrandum, excessus ei Traiani nuntiatus est*[2].

Sententiae inter se respondent Seuer. 21. 5, ubi *nec* aequalitatem significat (cf. Thörnell, Tert. II p. 79): *quid Marco feli-*

---

[1] Cf. Cotta p. 30.

[2] Alia ratione *et* usurpatur, ut aequalitatem notet Apul. Ascl. 7 (p. 42. 12 Thomas): *de sensu autem et de omnibus similibus, quando et de spiritu, tunc totam uobis praestabo rationem.*

His autem locis *et* post *quando* positum tantum eodem tempore duas res factas esse significat: Opil. 14. 5 *qui quidem perierunt in eo tumultu, in quo ipse occisus est, quando et omnia eius a militibus peruasa sunt*; Gord. 23. 6 (u. p. 122).

cius fuisset, si Commodum ⟨*non*⟩ (a P[1] omissum) *reliquisset heredem? quid Seuero Septimio, si Bassianum nec genuisset?* (. . . »wenn er seinerseits Bassian nicht zum Sohne gehabt hätte?») Lessing hoc *nec* praue per *ne-quidem* reddit[1].

Ceteros locos, quos oculis uirorum doctorum proponere mihi in animo est, dubios uideri non nego. Cum tamen non nihil traditam scripturam commendet, rei profuturum puto, si, quid utramque sententiam suadeat, exposuero.

Diad. 2. 8 compluribus de causis suspicionem mouet: *adserens melius filium suum Paenuleum uel Paenularium dicendum quam Caracallus esset et dictus Bassianus*, ubi Peter, ut uidetur, recte particulam seclusit. Fieri quidem potest, ut *et*, »seinerseits», responsionem quandam sententiarum significet, cum cognomen Bassiano inditum uelut exemplum proponatur Diadumeno, quo cognomen simile sumat. At *et* hoc modo usurpatum alias non inueni. Alia ratio est, ubi particula *et* simul cum comparatiuo in enuntiatione primaria abundanter adhibetur (cf. Thörnell Tert. II p. 38, 78). Ad difficultatem loci accedit, quod *et* insolenter collocatum est. Denique ex dittographia facile proficisci potuit[2].

Peter *et* delet Alb. 10. 8 (ep.), quod tamen recte traditum esse potest atque cum consuetudine horum scriptorum congruit. Cum autem facile e dittographia nasci potuerit atque insolenter in initio sententiae collocatum sit, fieri potest, ut *et* a manu prima codicis P exhibitum non iniuria addubitatum sit. Si autem uerum est, non inepte consensus indicatur inter munus susceptum

---

[1] Similiter partes sententiae ex aequo opponuntur Paneg. IX. 7. 3 (253. 4), *quia mutuis opibus et praemiis iuuari ornarique deberent: Musarum quies defensione Herculis et uirtus Herculis et uoce Musarum.* Posterius *et*, a Baehrensio deletum, haud tamen a Panegyricis abiudicandum esse Persson in seminario philologico monuit.

[2] Interdum syllaba *et* lapsu scribae iteratur, cf. Comm. 1. 5 (P[1]) (u. Cotta p. 31 n. 1), Maximin. 18. 2, nescio an etiam Get. 1. 5. Alia ratione *et* perperam exhibetur Aurel. 41. 2 *sancti* [et] *domini.* Alia uocabula uel syllabae parem in modum falso iteratae sunt: Carac. 5. 9 *accessisse*[se], Diad. 5. 6 *ruptis* [ruptis] (P[1]B), Diad. 7. 2 [de]*deorum*, Alex. 2. 5 *dicere*[re]*t*, Alex. 15. 4 *numquam* [numquam], Alex. 22. 6 [pau]*pauperandos* (P[1]), Alex. 66. 2 *nec* [in] *ipsi* (P[1]B), Maximin. 12. 11 *iussi*[sse]*t* (P[1]B), Gord. 10. 5 *quam*[quam], Max. Balb. 5. 10 [in] *ingeniosissimus*, Max. Balb. 11. 7 *quidem* [quidem] (P[1]), Claud. 2. 6 *fures*[es] (P[1]), Claud. 13. 8 *fuerat* [fuerat] (P[1]), Aurel. 30. 1 *sed sedux* pro *sed ut.*
Cf. contra loci, ubi haplographia syllaba omissa est (p. 120 n. 1).

atque praemium, quod huic debetur: *hunc uos adhortamini, ut se rei p. ostentet, et habiturus praemium, quod merebitur.*

Per *et*, si recte traditum est, consensus indicatur etiam Aurel. 35. 1: *non praetereundum uidetur . . . coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siliginei uocantur et singulis quibusque donasse, ita ut siligineum suum cotidie toto aeuo suo et unusquisque et acciperet et posteris suis dimitteret.* Primum *et* Peter dempsit. Equidem cum ultro concedam illud propter eandem uoculam bis subsequentem facile in textum irrepere potuisse, tamen hic particulas insigniter coaceruari non ad illud eiciendum satis ualere puto.

Liceat mihi hunc locum subiungere, Comm. 14. 1, ubi nescio an nulla coniectura opus sit, quamquam insolenter particula et dicta et collocata est: *Per hanc autem neglegentiam, cum et annonam uastarent hi*[1], *qui tunc rem publicam gerebant, etiam inopia ingens Romae exorta est, cum fruges et non deessent.* Multas hic locus curas uiris doctis attulit, uelut Petero particulam eicienti et simul, an *tum* substituendum esset, dubitanti et Rühlio (Rhein. Mus. 1907 p. 1), qui *fruges et ⟨oleum⟩* coniecit. Tamen in codicum memoria acquiescendum putauerim. Quid enim obstat, quin *et* »sogar» ualeat[2], illud, quod est *non deessent* (i. e. *praesto essent*), intendens? Verto: »entstand in Rom ein unerhörter Mangel, obgleich es sogar nicht an Getreide fehlte.»

II. De *nam et.*

Quod Thörnell (Tert. II p. 87 sqq.) docet saepissime a Tertulliano *et* uoculae *nam* annexum usurpari »et quidem tam arto uinculo, ut paene in unam coniunctionem coaluisse duae particulae uideantur», idem usus sermonis apud S. H. A. inuenitur. Haec igitur iunctura *nam et* »ponitur ad argumentum secundarium uel exemplum uel simile aliquid adiungendum, quod ad probandum accedat», ita ut *et* posteriorem sententiam cum praecedenti consentire indicet.

---

[1] Sic Petschenig (I 365), Lessing (Lex. p. 236 b), *ii* Peter, *hii* PB.

[2] Cum uoce negatiua *et* sensu »sogar» etiam alias iungitur. Hanc uim particulae inesse putat Lessing (Lex. p. 179 b) Seuer. 19. 7: *Hic tam exiguis uestibus usus est, ut uix et tunica eius aliquid purpurae haberet.* Sic etiam Peter scripsit et recte quidem, cum quod in codicibus exstat, *uixit*, huius lectionis uestigium esse appareat.

Consensum talem sententiarum uidemus Auid. 7. 3: *alii autem dicunt hanc artem adhibuisse militibus et prouincialibus Cassium contra Marci amorem, ut sibi posset consentiri, quod diceret Marcum diem suum obisse: nam et diuum eum appellasse dicitur, ut desiderium illius leniret.* Si quis autem hunc usum uel hic uel ceteris locis per brachylogiam quandam interpretari uult hoc fere menti scriptoris obuersatum esse ratus: »Ita se profecto res habet» atque hoc e contextu orationis audiendum esse, illud nimis molestum esse puto. Potius *nam et* cum sententia praecedenti sententiam sequentem, ut dixi, congruere ostendens per »ebenso» uel »so — auch» reddendum est.

Similia sunt haec: Pesc. 3. 8 *cum tribunatus ageret, nihil accipi passus est. nam et imperator iam tribunos duos, quos constitit stellaturas accepisse, lapidibus obrui ab auxiliariis iussit.* — Tac. 11. 6 *auro clauatis uestibus idem interdixit. nam et ipse auctor Aureliano fuisse perhibetur, ut aurum a uestibus et cameris et pellibus summoueret.* Quo loco *et* cum *ipse* in illam iuncturam usitatam *et ipse* coniungi ratio non suadet. Vertit Closs: »Er soll es auch gewesen sein, der dem Aurelian den Rath gab . . .».

Hadr. 14. 9 *Fuit enim poematum et litterarum nimium studiosissimus. arithmeticae geometricae picturae peritissimus. iam psallendi et cantandi scientiam prae se ferebat. in uoluptatibus nimius. nam et de suis dilectis multa uersibus conposuit.* Hic sententia, in qua *nam et* est, non ad illud, quod proxime antecedit, referenda est, sed longius repetitur oratio, a *fuit enim* cet. — Hadr. 16. 1 *Famae celebris Hadrianus tam cupidus fuit, ut libros uitae suae scriptos a se libertis suis litteratis dederit iubens, ut eos suis nominibus publicarent. nam et Phlegontis libri Hadriani esse dicuntur.* — Alb. 5. 3 *Huic multa imperii signa, cum esset natus, facta dicuntur. nam et bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est.* — Alex. 3. 1 *Alexander igitur, cui Mamaea mater fuit* (*nam et ita dicitur a plerisque*), ubi optimi aeui scriptores solum *nam* posuissent, quod simili loco legitur, Helius 6. 6, *nam, ut diximus, Lucius Ceionius Commodus Verus Helius Caesar* (*nam his omnibus nominibus appellatus est*) *perit.* — Max. Balb. 9. 3 *inter quos* (praetorianos) *et populum tanta seditio fuit, ut ad bellum intestinum ueniretur, urbis Romae pars maxima incenderetur, templa foedarentur, omnes plateae cruore polluerentur, cum Balbinus, homo lenior, seditionem sedare non posset. nam et in publicum processit, ma-*

nus singulis quibusque tetendit et paene ictum lapidis passus est. Cotta, p. 39, per ellipsin, id est brachylogiam, *studuit enim Balbinus seditionem sedare* audiendum esse censuit, quod non necesse est, cum etiam si nihil mente supplemus bonus sensus sit. Per *nam et* enim illud, quod praecedit, ac uerba sequentia inter se concinere notatur: »Er ging nämlich . . .». Lessing (Stud. p. 36) post *processit* interiecit *et,* quo addito triplex responsio per *et-et-et* oritur. Damsté (Mnem. 1911 p. 193) *nam ut* inuenit, de quo et aliis uirorum doctorum conaminibus u. p. 73.

Gall. 19. 7 *Et haec quidem de Gallieno hoc interim libro dixisse sufficiet. nam et multa iam in Valeriani uita, ⟨multa⟩*[1] *in libro, qui de triginta tyrannis inscribendus est, iam loquemur, quae iterari ac saepius dici minus utile uidebatur.* — Quatt. tyr. 10. 4 *et fuit re uera non parum litteratus. nam et in Africa rhetori operam dederat, Romae frequentauerat pergulas magistrales. Et* (*ut* PB) *ne longius progrediar . . . .* Damsté (Mnem. 1911 p. 240) *⟨et⟩ Romae* coniciens, ut responsio oreretur, ac simul *et* ante *ne longius,* a quo sequens caput incipit, eiciens textum nimis foede uiolauit. — Carus 13. 5 *ipsi denique comici plerumque sic milites inducunt, ut eos faciant uetera dicta usurpare. nam et »Lepus tute es: pulpamentum quaeris» Liui Andronici dictum est*[2].

[1] Peter hunc locum sic restituendum putauit: *nam et multa iam in Valeriani uita ⟨dicta sunt, alia⟩ in libro . . . iam loquemur, quae* cet. Iordan autem et Eyssenhardt textum intactum reliquerunt grauiter post *loquemur* interpungentes. Equidem uocem aliquam deesse existimans non tamen tam graui remedio quam Peter opus esse crediderim, cum facile in priore enuntiatione *locuti sumus* e sequenti uerbo *loquemur* audiatur. Opinor enim unum tantum uocabulum intercidisse atque hoc esse *multa.* Quod cum semel iam scriptum esset, facile librarium ad eandem uocem postea praetermittendam allicere potuit; aut post *uita* per haplographiam omitti potuit. Simillima enim sunt *uita* et *multa,* quae uoces fortasse olim in unam conflatae hac forma *uitāulta* scriptae erant.

[2] Apud Ciceronem huius usus exemplum inuenitur, quod Madvig in editione De finibus librorum p. 791 interpretatur: ad Att. II. 19. 3 (uersus laudatos) *totius theatri clamore dixit itemque cetera. Nam et eius modi sunt ii uersus, uti in tempus ab inimico Pompeii scripti esse uideantur: »Si neque leges neque mores cogunt —» et cetera magno cum fremitu et clamore sunt dicta.* De quo Madvig: »nec mirum est; denn die Verse sind auch der Art, dass cet.»

Eiusdem generis exempla etiam apud Tacitum inueni: Ann. XIV. 14 (298. 15.) *nobilium familiarum posteros egestate uenales in scaenam deduxit; quos fato perfunctos ne nominatim tradam, maioribus eorum tribuendum puto. nam et eius flagitium est, qui pecuniam ob delicta potius dedit, quam*

Ut *nam et* in sententia affirmatiua ita *nam nec* in sententia negatiua aequalitatem notat: Marc. Ant. 25. 12 *denique noluit Antiochiam uidere, cum Syriam peteret. nam nec Cyrrum (Cyprum* PB) *uoluit uidere, ex qua erat Cassius.* — Gord. 13. 2 (ep.) —

ne delinquerent. — XIV. 44 (314. 7) *colluuiem istam* (=familiam) *non nisi metu coercueris. at quidam insontes peribunt. nam et ex fuso exercitu cum decimus quisque fusti feritur, etiam strenui sortiuntur.*

Tale *nam et* agnosco Plin. Paneg. 43. 2 (37. 29): *nihilque inter priuatum et principem interest, nisi quod nunc a pluribus amaris; nam et plures amas.* Posteriorum igitur sententiarum aequalitas notatur, nam hoc potius existimo quam *et* intentionem significare.

E Suetonio hos locos annotaui: Aug. 89. 1 *Ne Graecarum quidem disciplinarum leuiore studio tenebatur . . . non tamen ut aut loqueretur expedite aut componere aliquid auderet; nam et si quid res exigeret, Latine formabat uertendumque alii dabat.* — Aug. 101. 2 *quam summam repraesentari iussit, nam et confiscatam semper repositamque habuerat.* — Tib. 47 *Princeps neque opera ulla magnifica fecit — nam et quae sola susceperat, Augusti templum restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit — neque spectacula omnino edidit.* — Tib. 70. 3 *maxime tamen curauit notitiam historiae fabularis usque ad ineptias atque derisum; nam et grammaticos . . . eius modi fere quaestionibus experiebatur: quae mater Hecubae, quod Achilli nomen inter uirgines fuisset . . .* Sequenti *et* hoc *et* minime respondere potest *(et quo primum die post excessum Augusti curiam intrauit).* — Ner. 45. 1 *ex annonae quoque caritate lucranti*[a] *adcreuit inuidia: nam et forte accidit, ut in publica fame Alexandrina nauis nuntiaretur puluerem luctatoribus aulicis aduexisse.*

Neque ab Apuleio hic usus alienus est. Cf. Met. I. 19 (p. 17. 17 Helm) *uerum ille ut satis detruncauerat cibum, sitire inpatienter coeperat; nam et optimi casei bonam partem auide deuorauerat.* — VI. 26. (p. 148. 16) *quae* (silices) *te penetrante‹s ante›quam decideris membratim dissipabunt. nam et illa ipsa praeclara magia tua uultum laboresque tibi tantum asini, uerum corium non asini crassum, sed hiru*[n]*dinis tenue membranul*[l]*um circumdedit.* — VII. 9 (p. 161. 13) *nec enim leui pretio distrahi poterit talis aetatula. nam et ipse quosdam lenones pridem cognitos habeo, quorum poterit unus magnis equidem talentis . . puellam istam praestinare . . .,* ubi fortasse *et* ad *ipse* ferendum est.

Cf. etiam Vers. uulg. Matth. 15. 27 *Qui* (Iesus) *respondens ait: »Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.» At illa dixit: »Etiam, Domine, nam et* (graece καὶ γὰρ . . .) *catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.»*

Vict. Vit. I. 12 *Quid multa? Post has truces impietates insaniae ipsam urbem maximam Carthaginem Geisericus tenuit et intrauit, et antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in seruitutem redegit; nam et senatorum urbis non paruam multitudinem captiuauit.* Petschenig in indice, p. 163, *nam et* pro *sed et* usurpatum annotat. V. etiam Mommsenii indicem Cassiodorianum, p. 561.

Senatus consultum tacitum nostrorum illorum principum legi, quod tu . . . factum esse fortasse non nosti, nam nec interfuisti. Per *nec* sententiam explanatiuam cum uerbis *non nosti* consentire indicatur. Utroque loco Lessing (Lex. p. 375 b) *nec* pro *ne-quidem* accepit.

Nonnumquam difficile est discernere, utrum *et*, quod post *nam* adhibitum est, cum hoc in unum coaluerit an pro *etiam* usurpetur uel alteri *et* respondeat. Velut Opil. 12. 2 *Fuit igitur superbus et sanguinarius et uolens militariter imperare, incusans quin etiam superiorum temporum disciplinam ac solum Seuerum prae ceteris laudans. nam et in crucem milites tulit et seruilibus suppliciis semper adfecit et, cum seditiones militares pateretur, milites saepius decimauit* possunt *et*, quod ante *in crucem milites tulit* cet. collocatum est, atque *et*, quod ante *cum seditiones militares* cet. positum est, inter se respondere. Quae enim posteriore ambitu sententiarum comprehenduntur, diuersa sunt exempla seueritatis et saeuitatis imperatoris. Auid. 9. 3 autem geminis particulis maritum et uxorem seiungi non putauerim: *filios Auidii Cassii Antoninus Marcus parte media paterni patrimonii donauit, ita ut filias eius auro, argento et gemmis cohonestaret. nam et Alexandriae, filiae Cassii, et genero Drunciano liberam euagandi, ubi uellent, potestatem dedit.* Potius hoc loco *nam et* iunctura est illa, de qua inquirimus. Cf. Marc. Ant. 26. 12 . . . *ita ut Alexandria, filia Cassi, et Druncianus gener liberam uagandi potestatem haberent.*

Gord. 14. 4 (or.) *hi* (senatores) *contra nos uiginti uiros statuerunt et omnes uelut contra hostes sententias protulerunt. quin immo agite, ut uiros decet: properandum est ad urbem. nam et uiginti uiri consulares contra nos lecti sunt, quibusque* (cf. p. 132) *resistendum est nobis fortiter agentibus, uobis feliciter dimicantibus.* Quo loco particula *et* per »sogar» reddenda uidetur, ut Lessingio (Lex. p. 179 a) placet. Closs autem uertit: »Denn es sind auch zwanzig Consularen gegen uns erwählt worden.» — Alex. 57. 3 plane pro *etiam* positum est *et*: *sed quidam dicunt a seruo suo eum proditum non uicisse regem sed, ne uinceretur, fugisse. quod contra multorum opinionem dici non dubium est his, qui plurimos legerint. nam et amisisse illum exercitum dicunt fame, frigore ac morbo.*

CAP. VII.

De collocatione particularum.

I. De collocatione singularum particularum.

Ut Löfstedt (Per. Aeth. p. 136 sq.) ostendit, apud posteriores *etiam* nonnumquam uices particulae copulatiuae sustinet, qui usus apud S. H. A quoque frequens est cum in enuntiatis tum in uocibus partibusue enuntiatorum nectendis. Et ponitur quidem *etiam* sermonem uarians in serie membrorum, quae uel dissolute uel particula copulatiua composita sunt, ac non modo primum sententiae locum tenens sed etiam secundum, cum alii uocabulo adhaereat. Cf. Cotta p. 33 sq.

Haec exempla illam consuetudinem ostendent: Aurel. 41. 10 *illum Saraceni, Blemmyes, Axomitae, Bactrani, Seres, Hiberi, Albani, Armenii, populi etiam Indorum ... uenerati sunt deum.* — Heliog. 23. 1 *Fertur in euripis uino plenis nauales circenses exhibuisse, pallia de oenanthio fudisse et elefantorum quattuor quadrigas in Vaticano agitasse, ... iunxisse etiam camelos quaternos.*

Ante membrum suum, cui pondus tribuit, collocatum est *etiam* his locis: Heliog. 6. 2 *in senatum legit sine discrimine aetatis census generis pecuniae merito, militaribus etiam praeposituris et tribunatibus et legationibus et ducatibus uenditis, etiam procurationibus et Palatinis officiis.* — Trig. tyr. 33. 1 *Vir plane militaris et antiquae in curia dignitatis, ... legatus praetorius secundo, quarto aedilicius, tertio quaestorius, extra ordinem quoque legatione Persica functus, etiam Sarmatica.* — Aurel. 1. 6 *ephemeridas illius uiri scriptas habemus, etiam bella caractere historico digesta.*

Eademque ratione atque eodem sensu *et* secundo loco sententiae collocatur, de qua re loquitur Cotta p. 31. Interdum *et* atque *etiam* sermonem uariant, adhibeturque simul saepe etiam anaphora.

Cf. e. g. hos locos: Marc. Ant. 25. 8 *ignouit et ciuitatibus, quae Cassio consenserant, ignouit et Antiochensibus.* — Marc. Ant. 21. 7 *armauit etiam gladiatores . . . latrones etiam . . . milites fecit. armauit et Diocmitas. emit et Germanorum auxilia . . .* — Ver. 5. 2 sqq. *donatos autem pueros decoros . . ., donatos etiam structores et lances . . ., donata et uiua animalia . . ., donatos etiam calices . . .; data etiam aurea atque argentea pocula et gemmata, coronas quin etiam datas . . ., data et uasa aurea . . ., data et uehicula . . .* — Priora membra per *et* illo modo iuncta sunt, postremum autem particula solito more usurpata additur: Ant. P. 9. 3 *fuit et inundatio Tiberis, apparuit et stella crinita, natus est et biceps puer, et uno partu mulieris quinque pueri editi sunt.*

His locis *et* aduerbium esse patet, etiamsi simul ad sententias nectendas ualet. Hanc autem rationem *et* adhibendi initium transitus cuiusdam esse apparet, quo se paulatim in coniunctionem postpositiuam conuertebat. (Cf. Löfstedt, Per. Aeth. p. 314.) Ut exemplum nullum apud hos scriptores exstat, ubi *et* postpositum plane coniunctio factum est, ita loci aliquot sunt, ubi dubitari potest, utrum haec particula propior sit aduerbio an coniunctioni. Nonnumquam enim in sententia, cuius secundum locum *et* tenet, aliquid legitur, quod cum sermone praecedenti nihil commune habeat, cum ad aliam rem exponendam oratio transierit. Neque *et* his locis, ubi tam diuersae res uelut casu congeruntur, eandem uim atque *etiam* habet, sed ad eum sensum, quo *autem* praeditum est, propius accedit.

In Historia Augusta hos locos repperi, ubi *et* particulae inuersae similis est[1]. Hadr. 17. 8 *fuit et plebis iactantissimus amator.* Ante de principe in balneis uersante narratur. — Marc. Ant. 1. 8 in expositione generis et pueritiae M. Aurelii: ***habuit et sororem*** *natu minorem Anniam Cornificiam, uxorem Anniam Faustinam, consobrinam suam.* — Ver. 4. 7 sq. post nocturnas expeditiones memoriae proditas: *iaciebat et nummos in popinas maximos, quibus calices frangeret. amauit et aurigas prasino fauens.* — Ver. 8. 10 *et Marcum Verus rogauit, qui uenit . . . et quinque diebus*

[1] Hunc transitum exponit Löfstedt (Per. Aeth. p. 312 sqq.). Cf. etiam Lundström, qui in Erani uol. XV p. 166 sqq. duos locos apud Celsum uindicauit. Inspicias uelim Dombarthi quoque indicem locutionum Commodianearum, C. S. E. L. XV p. 202, 212. Oder in indice Mulomedicinae Chironis, p. 312, locos annotat, ubi »ancipites haeremus, utrum 'und' an 'auch' uertendum sit».

in eadem uilla residens cognitionibus continuis operam dedit, aut conuiuante fratre aut conuiuia comparante. Habuit (Verus) *et Agrippum histrionem, cui cognomentum erat Memfi,* . . . Ambitum posteriorem sententiarum Peter uncis positis notat alieno loco, ut putat, incalcatum esse. Cf. eius praefationem, p. XXXIIII. Heliog. 4. 3 postquam matrem imperatoris in senatum lectam esse dictum est, pergit oratio hoc modo: *fecit et in colle Quirinali senaculum, id est mulierum senatum.* — Heliog. 8. 1 primum de Oresta urbe ab Oreste condita et de humano sanguine ibi pro piaculo, ut uidetur, effuso (7. 7 sq.) et de clementia Antonini Pii erga senatores aliquos adhibita narratur, deinde ad Heliogabalum regreditur historicus: *Cecidit et humanas hostias lectis ad hoc pueris nobilibus et decoris per omnem Italiam patrimis et matrimis.* — Heliog. 20. 3 *uoluit et per singulas urbis regiones praefectos urbi facere et ut essent in urbe quattuordecim.* Ante conuiuiorum, ad quae praefecti praetorio adhibebantur, mentio fit. Hoc *et* alterum *et*, quod infinitiuum et enuntiatum finale coniungit (cf. p. 141), respicere non ueri simile est. — Gord. 4. 7 *Scripsit et laudes soluta oratione omnium Antoninorum, qui ante eum fuerunt.* Ante ludi diuersis locis editi commemorantur. Peter hunc locum significat sermoni praecedenti non conuenire. — Prob. 9. 1 post epistulas uarias prolatas atque indicium amoris militum ostentum hoc sequitur: *Pugnauit et contra Marmaridas in Africa fortissime eosdemque uicit.*

Interdum *et* rationi locorum aptius esse uidetur. Velut in uita Heliogabali scriptor, cum cupidinem eius uoluptatum persequitur et multis exemplis profusam largitionem atque luxum imperatoris memoriae prodit, in sententia *et* postposito annexa affert rem aliam, quae mores corrupti illius uiri illustret.

Cuius generis sunt haec: 19. 7 *nec erat ei ulla uita nisi exquirere uoluptates. primus fecit de piscibus isicia, primus de ostreis et leiostreis . . . strauit et triclinia de rosa et lectos et porticus ac sic ea deambulauit.* — 24. 6 sq. *parasitos ad rotam aquariam ligabat et cum uertigine sub aquas mittebat . . . strauit et saxis Lacedaemoniis ac Porphyreticis plateas in Palatio . . . constituerat et columnam unam collocare* (*dare* P) *ingentem . . . sed tantum saxum non inuenit.* — 27. 6 sq. *miscuit gemmas pomis ac floribus. iecit et per fenestram cibos totidem, quot exhibuit amicis. iusserat et canonem p. R. unius anni meretricibus lenonibus exsoletis intramuranis dari.* — 29. 2 *Habuit gemmata uehicula et*

aurata contemptis argentatis et eboratis et aeratis. iunxit et quaternas mulieres pulcherrimas et binas ad pabillum uel ternas et amplius.

Inuersio igitur particulae *et* neque ad summam libertatem neque ad frequentem usum adoleuit. Omnibus enim locis, quos collegi, uerbum in initio sententiae situm est. Neque adduci possum, ut particulam recte inuersam esse putem Carus 3. 6, *inuidit Claudio longinquitatem imperii amans uarietatum, prope et semper inimica fortuna iustitiae.* Neque alius apud S. H. A. locus tam durus tamque singulari collocatione particulae insignis exstat. Facile uero uoces in *et prope semper inimica fortuna iustitiae* transponi possunt, quae mutatio leuior est quam Peteri *amans uarietatum semper et prope inimica* conicientis[1].

Vel autem particula, de qua non alienum est pauca adiungere, est, ubi postpositiua sit, cum nihil a particula anteposita differat. Illam in iunctura *neuel* (siue potius *ne uel*) exstantem Baehrens (Mnem. 1910 p. 414 atque Erani uol. XIII (1913) p. 29) cum aliquot apud alios scriptores locis tum hoc loco uindicauit, Heliog. 15. 3 *mandatum praeterea a militibus praefectis, ne paterentur illum ita diutius uiuere, et ut Alexander custodiretur, neuel (neue* Peter*) illi aliqua uis adferretur.* Ut autem Löfstedt (Per. Aeth. p. 317) ostendit, *uel* inuersum etiam extra hanc iuncturam non raro occurrit. E nostris historicis hoc exemplum annotaui, quod Peter mutauit. Gord. 21. 4 *qui dicit et quos seruos habuerit . . . et quos amicos et quot paenulas quot uel clamydes.* A codicibus *quod uel* exhibitum est, e quo facile fit *quot uel.* Peteri coniectura *quotue,* quamquam, quin falsa sit, non dubium est, Lessingio (Lex. p. 708 b) probatur.

---

[1] Fit etiam alias, ut *et (ac)* prauo loco collocatum sit, quod in his exemplis manifestum est: Auid. 9. 12 *et duces milites* PB pro *duces et milites,* Alb. 5. 1 *litteris ac Latinis Graecis* P[1] pro *litteris Latinis ac Graecis,* Gord. 18. 3 *et copia splendore* PB pro *copia et splendore,* Aurel. 25. 2 *contra et Zenobiam Zabam* PB pro *contra Zenobiam et Zabam.* — *Vel* a P aut omissum est aut non iusto loco positum Gord. 23. 7, ubi Peter in hunc modum textum restituit: *post quod non puerile iam et contemptibile uidebatur imperium, si quidem . . . ipse pro parte aliquantulum saperet nec per spadones ac ministros aulicos matris uel ignorantia* ⟨*uel*⟩ *coniuentia uenderetur.* — Etiam Gall. 5. 1 *uel* a librariis perperam collocatum est uel posteriore loco omissum: *neque enim quicquam est ad audaciam malis, ad spem bonorum bonis promtius, quam cum malus timetur uel* (in PB ante *malus* positum) *dissolutus contemnitur imperator.*

Quibus locis cum scriptura uetus seruari debeat, hunc quoque locum in medium proferre uelim, ubi haud scio, an testimonium librorum uerum sit: Aurel. 41. 2 (ep.) *nos enim de his* (interfectoribus Aureliani), *qui uel errarunt qui uel male fecerunt, imperare nobis neminem patimur.* PETER posterius *qui* delet, PVRSER (Hermath. 1908 p. 12) de hoc loco sic censet: »Perhaps we should read *quiue errarunt quiue male fecerunt.*» Melius mihi uidetur lectionem traditam amplecti, cum posterius *uel* pro inuerso accipitur, ita ut *qui* indiligentius iteratum sit atque pro *uel qui male fecerunt* scriptum sit *qui uel male fecerunt.* Quo fit, ut in posteriore membro uoces eodem ordine atque in priore collocatae sint. Cf. posterius *uel* ante pronomen collocatum Get. 6. 3 (p. 110).

Sed ut ad *et* redeam, est etiam, ubi haec uocula sententiam ad ea, quae praecedunt, annectens longius ab initio eius recedat. Hac ratione particulam libere collocatam inuenias Marc. Ant. 8. 3, *Adepti imperium ita ciuiliter se ambo* (M. Antoninus et Verus) *egerunt, ut lenitatem Pii nemo desideraret . . . dabat se Marcus totum et philosophiae, amorem ciuium adfectans.* Neque PETER neque LESSING (Lex. p. 179 b) hunc locum mutarunt, COTTA autem (p. 31) hoc iudicans: »aegre certe ferenda est haec uerborum collocatio», an quaedam post *philosophiae* lapsu quodam interisset, dubitauit. Ante autem de prorsus aliis rebus agitur. Itaque apparet uocula *et* orationis progressum indicari[1].

Similiter se habet Alex. 33. 3, ubi *et* uerbo praecedens ab initio sententiae remotum est: *Scaenicis numquam aurum, numquam argentum, uix pecuniam donauit. pretiosas uestes, quas Heliogabalus dederat, et sustulit. milites, quos ostensionales uocant, non pretiosis sed speciosis claris uestibus ornabat.* PETER uoces transposuit *sustulit et* scribens, ut *et* ante *milites* situm eam sententiam, quae ab hoc uocabulo incipit, annecteret. Tamen textum, ut traditus est, intactum relinquendum esse putauerim et hoc modo uerba collocata esse pro *sustulit et pretiosas uestes, quas* e. q. s. Neque enim hoc loco *et* intentionis causa positum arbitror.

---

[1] Ab ODERO in editione Mulomedicinae Chironis aliquot loci annotantur, p. 312, ubi *et* quamquam non in initio collocatum sententiam annectit, quorum hic locus incertior uidetur: § 77 *si ex* <*h*>*ac re sanum fieri non potest, uenas superiores in tempora et* (*sed* cod.) *captato, ut illud tempore uras.*

LÖFSTEDT hunc usum perstrinxit Per. Aeth. p. 317.

Etiam alias *et* a suo uocabulo seiunctum alio atque exspectatur loco ponitur[1]: Heliog. 18. 1 *uita moribus inprobitate ita odibilis, ut eius senatus et nomen eraserit.* Sic Peter scripsit codicum memoriam sequens. Hoc loco *et* sensu »sogar» ad *eraserit* uel ad totum enuntiatum pertinet.

Similiter comparatum est Quatt. tyr. 8. 7 (ep.): *unus illis deus nummus est. hunc Christiani, hunc Iudaei, hunc omnes uenerantur et gentes.* Sic Peter traditam scripturam retinens scripsit, alii autem locum mutarunt, Aem. Baehrens (Neue Jahrbücher 133 (1886) p. 223) *et* expungens atque Pvrser (Hermath. 1908 p. 30) *uenerantur ⟨et Aegyptii⟩ et gentes* coniciens. Equidem Petero adstipulor, cum gradatio hoc loco cernatur; quare *et* rationi loci apte conuenit. *Gentes* uero uocem Baehrens l. l. eodem atque *homines* sensu praeditam esse uult, Cramer autem (Arch. VI p. 358) eodem atque *pagani,* »Heiden». At cum nihil solito sensui repugnet, non mihi opus esse uidetur inusitatiorem significationem statuere. Neque necesse est hoc uocabulum, ut Cramero placet, tertium a ceteris notionibus discretum genus significet, potius uero omnia complectens priora quoque substantiua comprehendit.

Deinde hunc locum exquiramus: Heliog. 23. 5 *uoluit uti et diademate gemmato, quo* (*qui* PB) *pulchrior fieret et magis ad feminarum uultum aptus. quo* (*qua* PB) *et usus est domi.* Forsitan aliquis cum Cotta (p. 31) *et* hoc loco consensum sententiarum significare putet, ita ut historicus noster dixisse uideatur Heliogabalum non modo consilium diadematis gerendi agitasse uerum etiam hunc ornatum domi gerere coepisse. At ueri similius est *et* »sogar» ualere, quoniam dignius est memoratu eum hoc ornamento in Palatio quam in publico uti. *Voluit uti* autem eodem fere sensu ac solum *usus est* dicitur[2]. Neque collocatio uoculae *et,* quae non ad *usus est,* cui proxime praecedit, sed ad *domi* pertinet, offensioni est, cum similia exempla supra prolata huic loco adminiculo sint.

[1] Inspicias uelim Kühnervm et Stegmannvm (II p. 54) atque Löfstedtivm (Tert. II p. 43 n. 3 et Tert. III p. 43 sq.). Cf. etiam Ennod. Opusc. (p. 272. 6 Hartel) *electus est locorum situs non tam congressui utilis quam pauori, prouidentes, ne ascriberetur casui prima et discessio perfugarum.* Hartel (p. 694) *et prima* uel *ut — nec prima* exspectatum esse dicit.

[2] De tali usu uerbi, quod est *uelle,* aliorumque agit Löfstedt (Per. Aeth. p. 207 sqq.).

Alia ratione *et* particula collocata est hoc loco, ubi tamen, quid traditum sit, incertum est. In epistula Trig. tyr. 9. 7 laudata Peter atque Lessing (Lex. p. 610 b) sic scribunt: *perimendus est omnis sexus uirilis, si et senes atque inpuberes sine reprehensione nostra occidi possent.* Aem. Baehrens (Neue Jahrbücher uol. 133 (1886) p. 221) hoc modo locum emendauit *perimendus est omnis sexus uirilis (o si et senes atque inpuberes sine reprehensione nostra occidi possent)*, quae mutatio sensui repugnat. A manu autem prima codicis Palatini *et* ante sententiam conditionalem collocatum est, postea, ut uidetur, erasum. Et fieri potest, ut recte *et* liberius ante enuntiatum secundarium, in quo esse debuit, positum sit, cum apud Tertullianum *et* nunnumquam sententiae anteponi doceat Thörnell, »cum ad singulare sententiae uocabulum pertinere potius uideatur» (u. Tert. I p. 64, II p. 84 sqq.). De eodem usu loquitur etiam Löfstedt (Tert. III p. 41 sqq.)[1]. *Et* uero utrum ab ipsa manu prima an a posteriore erasum sit, Peter non indicat, id quod etiam ad locum ambiguum reddendum ualet. Respiciendum enim est, quod in illo codice summa auctoritate praedito prima manus scripsit.

Neque hoc loco *et* liberius collocatum nos offendere debet, Auid. 6. 7 *Ergo correcta disciplina et in Armenia et in Arabia et in Aegypto res optime gessit amatusque est ab omnibus orientalibus et speciatim ab Antiochensibus . . . nam cum et Bucolici milites per Aegyptum grauia multa facerent, ab hoc retunsi sunt.* Exspectatur autem *nam et cum* e. q. s., ut Peter scripsit. Tamen *et* intra sententiam temporalem tractum esse crediderim neque hanc particulam otiosam esse puto, cum quod scriptor coepit narrare, cum illis, quae antecedunt, i. e. *res optime gessit*, concinere indicet. Haec autem collocatio aliquatenus similis est illi, qua particula suum locum deserens ante sententiam ponitur, de quo usu supra locutus sum (cf. etiam Thörnell, Tert. I p. 64, II p. 84

[1] Annotationem ipsius Löfstedtii totidem uerbis exscribo: »Er (Tertullian) hat nämlich in einer ganzen Anzahl von Fällen (die allerdings von den Herausgebern meistens geändert werden) eine Partikel wie *et* (*etiam*), *non* etc. von dem am nächsten damit zusammengehörigen Worte getrennt und an den Anfang des Satzes gestellt (oder demselben wenigstens näher gerückt). Am häufigsten werden die fraglichen Begriffe durch ein oder ein paar verhältnismässig kurze und tonlose Wörtchen getrennt (vgl. oben), und der Grund der ganzen Erscheinung liegt offenbar in der bewussten oder unbewussten Tendenz, dem wichtigen und hervorhebenden *et* (*non* etc.) eine betontere Stellung zu geben.»

sqq., Löfstedt, Tert. III p. 41 sqq.), cum ex eodem sermone parum subtili originem ducat, quamquam eo illi contraria est, quod uocula, quam ante sententiam sitam esse oportebat, intra illam inclusa est[1].

Atque similem in modum *autem* ponitur, si fides codicibus habenda est, Maximin. 6. 3: *omnia arma illorum* (militum) *cottidie circumspicere, calciamenta quin etiam ipse prospiciebat, prorsus ut autem patrem militibus praeberet,* qui locus saepe a criticis infestatus est. Petschenig (I p. 406) atque Cotta p. 8 *amantem patrem*, Aem. Baehrens (Neue Jahrbücher 133 (1886) p. 218) *alterum patrem,* substituerunt, Peter autem uoces transposuit: *prorsus autem ut.* Agmen claudit Novák (p. 22) *autem* excludens. Lessing autem (Lex. p. 45 b) traditam scripturam ueram esse suspicatus est, cum annotet: »Defendi fortasse potest».

Antequam de geminis particulis inconcinne collocatis disputare aggredior, liceat mihi quamquam alieno loco haec exempla in medium proferre, ubi de uera scriptura ambigitur. Get. 5. 1 *Fuit in litteris assequendis et tenax ueterum scriptorum, paternarum etiam sententiarum memor, fratri semper inuisus, matri amabilior quam frater, subbalbe tamen canorus.* Multas coniecturas ad hunc locum protulerunt uiri docti. Petschenig (I p. 400) *assequens* ex *assequendis* fecit, Aem. Baehrens autem (Neue Jahrbücher 133 (1886) p. 216) *uelox* excidisse arbitratus est. Neque illis assentior neque cum Petero et Lessingio (Lex. p. 663 a), qui *et* expunxerunt, facio traditam illam scripturam ueram esse putans. *Tenax*

---

[1] De aliarum uocularum libera collocatione simul disputauit Löfstedt l. l. p. 46 sqq.

Apud S. H. A. ad hos locos animum attendas uelim: Get. 3. 4 *Iulia dixisse ioco fertur: »Maledicte parricida, fratrem tuum occidisti.» idque ioco: quod dictum Seuerus altius quam quisquam praesentium accepit.* Peter uerba *idque ioco* uncis inclusit, callide Lessing (Lex. p. 517 a) alio modo distinxit *idque, ioco quod dictum, Seuerus* e. q. s., nescio tamen an non recte, cum secundo loco enuntiati pronomen relatiuum a S. H. A. non positum sit praeter Trig. tyr. 11. 5, in uersibus allatis, *felix Claudius Aureolum | munere prosequitur mortali et iure superstes, | uiuere quem uellet, si pateretur amor | militis egregii, uitam qui iure negauit | omnibus indignis et magis Aureolo.* Cetera exempla, quae Lessing profert, non certa sunt: Maximin. 5. 5 non modo non *quam* a prima manu codicis P originem ducit, sed etiam alio modo possunt sententiae distingui: *statim denique illum tribunum legioni quartae ex tironibus, quam ipse conposuerat, dedit,* ubi Lessing l. l. Peterum sequens *ex tironibus quam ipse conposuerat* in eandem enuntiationem trahit. De reliquo exemplo, Get. 2. 2, u. p. 129 sq.

enim hac particula intendi existimans uerto: »Bei seinen Studien war er sogar ein treuer Bewunderer der alten Schriftsteller».

Hoc quoquo loco *et* immerito addubitatum est, Seuer. 21. 8 *qui Papinianum . . . occidit et praefectum quidem, ne homini per se et per scientiam suam magno deesse⟨t⟩ et dignitas*. Sic, ut Peter quoque scripsit, manus secunda codicis Palatini textum una littera immissa correxit, Lessing autem (Lex. p. 180 b) *et* falso additum putat. Quamquam facillime duo *e* ex uno oriri potuerunt, tamen facilius *deesse* solito errore[1] e *deesset* natum opinor. Particula autem addita apte significatur ad magnitudinem uiri accessisse dignitatem.

II. De inconcinna collocatione geminarum particularum.

Cum membra inter se respondentia geminis particulis *et-et*, *uel-uel*, *aut-aut* coniunguntur, saepe fieri, ut particulis parum subtiliter positis inconcinnitas quaedam sermonis oriatur, iam multi uiri eruditi ostenderunt[2]. Cuius neglegentiae duo praecipua genera sunt, quorum alterum occurrit, cum in enuntiatione secundaria, in qua duo membra particulis geminatis uel copulantur uel disiunguntur, coniunctio uel pronomen relatiuum uel interrogatiuum, quamquam ad utrumque membrum pertinet, tamen in posteriore membro iteratur. Alterum autem genus est, cum

[1] Similibus uitiis textus his locis laborat: Max. Balb. 5. 3 *sustulisset* pro *sustulisse* et Tac. 14. 4 *reprehendite* pro *reprehendit et*. Eiusmodi lapsus, ut infinitiui praesentis et perfecti pro formis coniunctiui imperfecti et plusquamperfecti in *t* exeuntibus positi sint, etiam saepe alias a prima manu codicis Palatini admissi sunt: Marc. Ant. 24. 7, Pesc. 3. 11, 6. 10, Alb. 4. 4, 13. 6, Diad. 5. 2, Alex. 20. 1, 21. 6, 36. 2, 39. 1, 42. 4, Gord. 26. 3, 30. 8, Gall. 3. 9, postea ab alia manu correcta sunt Marc. Ant. 28. 2, Comm. 10. 4, Alex. 21. 6, Trig. tyr. 26. 5, Prob. 8. 4, 8. 6, Carus 13. 3. Aliis formis *t* detracta est Hadr. 20. 11, Gord. 17. 5. Tac. 6. 3, postea ab alia manu correcta sunt Hadr. 17. 4, Alex. 32. 4, Max. Balb. 16. 4, Aurel. 4. 7, 5. 4, 49. 4, Prob. 19. 2. Contra coniunctiuus nonnumquam pro infinitiuo positus est (u. p. 81 n. 1). Cf. etiam Hadr. 9. 2 *displicere*[t] *uidisse*‹*t*›, ubi *t* suo uocabulo detractum falso alteri adiectum est.

[2] Sollerter et liquide Sjögren hanc sermonis consuetudinem, cui Ciceronem persaepe indulsisse monstrat, exponit Comm. Tull. p. 135 sqq., Erani. uol. XVI p. 30 sqq., uol. XIX p. 152 sq. V. etiam Ströbelii Tulliana (progr. München 1908, p. 29 sq.). Thörnell, Erani uol. XVI p. 108 sqq., denique Thes. uol. II. 1565. 21 sqq.

coniunctio uel pronomen uel alia uox, quae in priore membro posita est, in posteriore deest. Confunduntur igitur legitimae rationes notionum inter se componendarum, quarum haec exempla sunt *ne aut-aut* atque *aut ne-aut ne*, ut hae formae nascantur: 1. *ne aut-aut ne*, 2. *aut ne-aut*.

Nonnumquam autem textus, ut sermo concinnus fieret, emendatus est, cum non intelligeretur scriptores incuria illa orationem composuisse, qua etiam saepe locutos esse ueri simile est, sicut etiam in nostra lingua cum audimus tum legimus talia: »såväl de, som äro på fältet som i skogen», »på både bordet och på stolen»

Ex S. H. A. haec exempla annotaui:

Forma I[1].

Carac. 11. 2 *nos tamen ordinem secuti sumus, ut qui et prior natus est et qui prior imperare coeperat, prior scriberetur.* Posterius *qui* auctore Novákio (p. 17) delet Lessing (Lex. p. 179 b), sed perperam, qui hanc consuetudinem sermonis non perspexerit.

Eodem pacto *uel-uel* collocantur: Get. 6. 3 *post hoc denique et Papinianus et multi alii interempti sunt, qui uel concordiae fauerant uel qui partium Getae fuerant.* Cf. *uel* in posteriore membro post pronomen collocatum Aurel. 41. 2 (p. 105). — Ver. 5. 8 *ad quod* (Parthicum bellum) *eum misisse dicitur Marcus, ne uel in urbe ante oculos omnium peccaret, uel ut parsimoniam peregrinatione addisceret, uel ut timore bellico emendatior rediret, uel ut se imperatorem cognosceret.* Haesitat Lessing (Lex. p. 711 b), utrum primum *uel* »sogar» ualeat, an pro disiunctiua particula usurpata sit. Mihi uero persuasum est *uel* ad primum membrum disiungendum positum esse, facile autem sermonem inconcinnum fieri puto, cum a negatiua sententia ad affirmatiuam transit. Eadem ratione mutationem casuum nonnihil ad inconcinnam

---

[1] V. praeter opera iam laudata Madvig ad Cic. Fin. II. 15 (cf. eundem ad I. 33), Löfstedt, Tert. I p. 108, Stangl, Pseudoascon. p. 39, Baehrens, Philol. Suppl. XII (1912) p. 386. Cf. etiam hos locos: Cassian. Inst. III. 3. 9 *quo in loco de illo quoque uero sacrificio uespertino sacratius intellegi potest, quod uel uespere a domino saluatore cenantibus apostolis traditur, cum initiaret ecclesiae sacrosancta mysteria, uel quod ipse die postero sacrificium uespertinum in fine scilicet saeculorum . . . pro salute mundi totius oblatus est patri.* — Ennod. Opusc. I (p. 265. 4 Hartel), ubi post *ne aut* sequitur *aut non*: *cum animos tuos sine annorum suffragio inpulit lux naturae, ne aut causa melior te coram posito subiaceret, aut non beneficium necessitatis tempore redderes quod pacis acceperas.*

collocationem particularum efficiendam ualuisse ueri simile est Alb. 6. 5: *dicens Commodum quaerere, qui aut cum eo perirent, aut quos cum causa ipse posset occidere.*

Forma II[1].

Alex. 24. 5 *iussit thermas et quas ipse fundauerat et superiores populi usibus exhiberi.* Veri similius est ad uocem *superiores* audiendum esse *principes* quam *thermas*, cum saepius hoc adiectiuum de imperatoribus usurpetur, Hadr. 10. 3, 21. 2, Opil. 5. 6, Trig. tyr. 20. 1, Prob. 12. 6, Quatt. tyr. 1. 3.

In idem genus refero Alex. 41. 5, ubi in codice Palatino hoc scriptum exstat: *sed summa illi oblectatio fuit, aut* · *cū*||*por cellulis luderent aut perdices inter se pugnarent, aut auicolae paruolae sursum et deorsum uolitarent.* (*cu* in ras.) [supra: ·*catuli*] Peter emendauit: *fuit, ut catuli cum porcellulis luderent,* Petschenig autem *fuit ⟨ut⟩ aut,* quod Lessing (Lex. p. 45, b) recepit, quo disiunctio iusta nascitur. Neque tamen me adstipulantem habent. Quoniam enim *catuli* ante *cū (cum)* a librario praetermissum postea supra uersum adscriptum esse patet, ueri simile est ambas uoces *ut catuli* alteram iuxta alteram positas simul excidisse. Deinde cum posterius uocabulum adderetur, prius neglectum esse apparet. Atque magis adducor, ut uoculam *ut* post *aut* omissam esse credam quam ante *aut*, ut Petschenigio uisum est. Contra Peterum uero facilius *aut* per haplographiam pro *aut ut* scriptum esse existimauerim quam per errorem pro *ut*, licet talia menda in libris manu scriptis non desint. Itaque fuisse puto: . . . *aut ut catuli cum porcellulis luderent* e. q. s.

Damnarunt omnes, ut uidetur, codicum scripturam hoc loco, nescio tamen an haud recte. Traditum Opil. 3. 5 hoc est: *nec inter Antoninos referendi sunt duo Gordiani, aut qui praenomen tantum Antoninorum habuerunt aut etiam Antonii dicti sunt,*

---

[1] Cf. Baehrens, Philol. Suppl. XII (1912) p. 379 sqq., 536. Sunt aliquanto duriora illa exempla inconcinni sermonis, eiusdem tamen generis, quae protulerunt Thörnell (Tert. II p. 86) atque Löfstedt (Tert. III p. 44—46) de libera collocatione prioris particulae, cum ante sententiam uel membrum suum ponitur, disputantes. Löfstedt (p. 44) hoc habet: »Auffälliger ist, dass auch bei dem rein korrespondierenden *et-et*, 'sowohl-als', das erste *et* mitunter eine Stellung erhält, die mit der oben nachgewiesenen analog ist.» Hoc ad id spectat, de quo egit p. 41 sqq. (cf. supra p. 107 et n.). Cf. etiam idem l. l. p. 61 sqq.

non Antonini. Transposuerunt uoculas Egnatius atque Salmasius *qui aut* scribentes, alii, Iordan et Eyssenhardt atque Frankfurter (Wiener Stud. 13 (1891) p. 250), *aut quia* coniecerunt, quae scriptura si probatur inconcinnitas manet. Ingeniose Peter unam litteram expungens scripsit *ut qui,* quo sermoni elegantia accedit. Lessing autem, quam sententiam sequatur, incertum relinquit (Lex. p. 44 b, 523 a). Ego quoque, cui opinioni accedam, haereo, sed testimonium quidem uetus falsum esse mihi non prorsus persuasum habeo. Licet hic positus particulae durissimus sit atque alias apud S. H. A. inauditus, tamen fieri potuisse non negauerim, ut *aut* loco suo decedens ante sententiam poneretur. Non enim huic loco multum duritate concedunt illa exempla coniunctionum mire positarum, quae Löfstedt l. l. p. 44 sq. protulit: Tert. Apol. 47. 3 *dum ad nostra conantur et homines gloriae, ut diximus, et eloquentiae solius libidinosi, si quid in sanctis offenderunt digestis pro instituto curiositatis, ad propria opera uerterunt?* — Id. De carn. res 55 (Kr. 115. 9) *quod et si transfigurationem et conuersionem in transitum substantiae cuiusque defendis, ergo et Saulus in alium uirum conuersus de corpore suo excessit?* — Id. De cult. fem. I. 8 (Ö. I 711) *non tamen ideo circi furoribus aut arenae atrocitatibus aut scenae turpitudinibus christianum affici oportet, et quod equum et pantheram et uocem homini deus dedit, sicut nec ideo idololatrian impune faciat christianus, quia dei conditio est et tus et merum et ignis qui uescitur et animalia quae uictimae fiunt.*

Praepositiones in posteriore membro non iterantur: Prob. 16. 5 *barbarorum, qui apud Isauros sunt, uel per terrorem uel urbanitatem loca ingressus est* (cf. Cotta p. 30). — Get. 2. 1 *Geta autem dictus est uel a patrui nomine uel aui paterni* (*uel a p.* P[1]). Cum e scriptura primae manus illius principis testis non satis eluceat, quid legendum sit, incertius hoc exemplum est. Peter tamen atque Lessing (Lex. p. 710 b), ut supra legitur, scribunt.

Inconcinnitatem sermonis hoc quoque loco statuendam esse arbitror, Opil. 4. 8, ubi traditum est: *id egit, ut quasi militaribus insidiis, quod uel ob parricidium uel ne incestum displiceret, interemptus diceretur.* Secluserunt, ut uidetur, *ne* particulam omnes, etiam Lessing (Lex. p. 710 b), et recte quidem, mea quoque sententia, cum hanc a librario additam esse ueri simile sit, qui non intelligens praepositionem ex altero membro supplendam esse, *ne* coniunctiuo *displiceret* addidit.

Durius particula negatiua semel tantum adhibetur, cum bis deberet, Seuer. 18. 7 *de hoc senatus ita iudicauit illum aut nasci non debuisse aut mori* (sc. non debuisse), *quod et nimis crudelis et nimis utilis rei publicae uideretur.* (Cf. Sjögren, Erani uol. XIX p. 153 n.).

Forma III[1].

Tertium quoque genus est inconcinni sermonis e parum accurata collocatione geminarum particularum profectum. Fit enim non raro, ut uox ad prius tantum membrum pertinens ante priorem particulam ponatur, quamquam post eam sita esse debebat. Propterea autem hoc factum esse puto, uel quod hoc positu magis uox elata est, uel quod constructio mutata inconcinnitatem secum traxit. Hic loquendi mos in his exemplis cernitur: Hadr. 8. 5 *ipsum autem tertium consulatum et quattuor mensibus tantum egit et in eo saepe ius dixit.* — Marc. Ant. 27. 3 *per Brundisium ueniens in Italiam togam et ipse sumpsit et milites togatos esse iussit.* — Breuissimum uocabulum suo membro praemittitur Opil. 3. 6 *inde est quod se et Seuerus Antoninum uocauit, et plurimi fecerunt, et*[2] *Pertinax et Iulianus et idem Macrinus,* quo loco tamen fieri potest, ut primum *et* ualeat *etiam.*

Quod Peter hunc locum mutare uoluit, ut oratio aequalis fieret, peruerse id fecisse uidetur: Hadr. 20. 7 *nam ipse orationes et dictauit et ad omnia respondit,* ubi ille hoc modo particulam transposuit: *nam ipse et orationes dictauit et* e. q. s. Contra altero loco idem particulam inculcauit, ita ut oratio inaequalis facta sit atque in exemplum illius loci structa: Max. Balb. 7. 4 *quem* (Bal-

[1] Cf. Ahlquist p. 109 sqq., Baehrens Philol. Suppl. XII (1912) p. 384 sqq. Neque Suetonium hac in re a S. H. A. discrepare ex hoc exemplo apparet, Ner. 34. 2 *solutilem nauem, cuius uel naufragio uel camarae ruina periret, commentus est,* ubi propter inaequalem compositionem membrorum *cuius naufragio* et *camarae ruina* particulae *uel-uel* alio modo non collocari potuerunt.

Dombart (C. S. E. L. XV p. 212) inter exempla Commodiani *et* postpositi hoc habet, ubi particulas geminatas inuenias: Apol. 784 *Quem* (Dominum) *si quis confessus non erit in ista natura, perdit et quod uixit, et in poena sero declamat.* Apol. 552 autem non manifesta est responsio particularum neque inuersio prioris *et: Praedixerat autem discipulis cuncta de sese,* | . . . *et quia de tumulis resurgeret tertio die,* | *dixerat et ipsud, et conpleuit omnia dicta.* Potest enim *et ipsud* idem esse atque »auch dieses«.

[2] Sic codd., *ut* Peter, cf. p. 7.

binum) *quidem adiuuabat diuitiarum habundantia, nam erat ⟨et⟩ a maioribus diues et multa hereditatibus per se ipse collegerat.* Nihil autem obstat, quin particula hoc loco careri possit.

Tuetur illum locum hic, cui ipsi ille praesidio est, Alex. 2. 4 *cuncta insignia et honorificentiae genera simul recepit suffragante sibimet et Caesaris nomine, quod iam ante aliquot annos meruerat, et magis suffragante uita et moribus,* ut prima manus codicis Palatini scripsit (*sibimetet*), cum Peter *et* post *sibimet* ut e dittographia ortum reiciat. At scriptorem a forma, quam prius instituit, abiisse atque parum apte interiecisse *magis suffragante* non ueri dissimile est.

Alterum *nec* pari ratione situm aequalitati membrorum obest Alex. 66. 2: (amicos) *amantes principis sui et qui de illo nec ipsi riderent nec risui esse uellent, (nec in ipsi* P[1]*)*, atque item altera particularum *uel-uel* Alex. 67. 2: *nec dedit alicui facultatem uel fumorum uendendorum de se uel sibi de aliis male loquendi.* Si uero iuste ac legitime scriptum esset *nec dedit facultatem uel alicui fumorum uendendorum de se uel sibi* e. q. s., nimis molesta oratio esset.

Interdum membra per *et-et* composita ita comparata sunt, ut alterum ab alia sententia pendeat, alterum liberum atque solutum sit. Eadem ratio est, ubi alterum membrum ex accusatiuo cum infinitiuo constat, alterum a nullo uerbo pendet, ut Prob. 2. 6 sq.: *illud tantum contestatum uolo me et rem scripsisse, quam, si quis uoluerit, honestius eloquio celsiore demonstret, et mihi quidem id animi fuit, ⟨ut⟩ non Sallustios Liuios Tacitos Trogos atque omnes disertissimos imitarer uiros in uita principum et temporibus disserendis, sed . . .* Peter prius *et* sustulit *memet* pro *me et* scribendo, Novák p. 34 *et* e textu eiecit, quod ex *me er rem*, per dittographiam pro *me rem* scripto, originem traxisse ueri simile duxit, Damsté denique (Mnem. 1911 p. 238) ui sermonem concinnum reddidit, cum *fuit* in *fuisse* mutandum censeret. Traditam scripturam genuinam iudicauit Ahlquist p. 111, qui recte inelegantiam sermonis hoc loco ferendam uindicauit.

Fieri fortasse potest, ut etiam Marc. Ant. 7. 1 alterum membrum sententia secundaria contineatur, alterum libera sententia expositum sit. A manu enim prima codicis uetustioris, quam praecipue nos respicere oportet, scriptum exstat: *Existimationis*

autem tantam curam habuit, ut et procuratores suos puer semper moneret, ne quid arrogantius facerent, et hereditates delatas reddens proximis aliquando respuit. Peter autem *respuerit*, recentioris manus scripturam, recepit aequabilitatem sermonis sectans. *Moneret* uero et *respuerit* quod uariorum temporum sunt, id illi fidem non denegat, cum etiam alias eadem uarietas reperiatur[1]. Plus ualet, quod *aliquando respuit* peior clausula est quam *aliquando respuerit.* At haud scio, an ne ob illud quidem necesse sit illam lectionem damnare.

Simul hic locus obseruandus est, ubi orationem alio modo, quam instituerat, scriptorem persecutum esse opinor, *et* semel tantum posito, Aurel. 14. 2, ubi Aurelianus, postquam a principe Valeriano laudatus est, sic exorsus est: »*Et ego, domine Valeriane, imperator Auguste, ideo cuncta feci, ideo uulnera patienter excepi, ideo et equos et coniuratos meos lassaui, ut mihi gratias ageret res p. et conscientia mea. at tu plus fecisti. ago ergo gratias bonitati tuae . . .*» Neque in oratione, quae praecedit, est, cui *et* respondeat, neque alterum *et* sequitur. Quare membrum posterius scriptor alia ratione effinxisse uidetur, atque primum in animo conceperat, ita ut nunc illi *et ego* oppositum sit *at tu.*

Postremo ad hunc locum inaequabilitate laborantem ueniamus, ubi, sicut nobis mos est, quaerere libet, possitne tradita lectio retineri: Quatt. tyr. 1. 1 *Minusculos tyrannos scio plerosque tacuisse aut breuiter praeterisse. nam et Suetonius Tranquillus, emendatissimus et candidissimus scriptor, Antoni[n]um Vindicem*[2] *tacuit, contentus eo, quod eos cursim perstrinxerat, et Marius Maximus, qui Auidium Marci temporibus, Albinum et Nigrum Seueri non suis propriis libris sed alienis innexuit. et de Suetonio non miramur, cui familiare fuit amare breuitatem. quid*

---

[1] Cf. Did. Iul. 9. 1 *Obiecta sane sunt Iuliano haec: quod gulosus fuisset, quod aleator, quod armis gladiatoriis exercitus esset, eaque omnia senex fecerit.* — Get. 6. 3 *post hoc denique et Papinianus et multi alii interempti sunt, . . . ita ut utriusque ordinis uiri . . . percuterentur, Papinianus ipse securi percussus sit.* — Gord. 6. 4 *socero suo Annio Seuero tantum detulit, ut in familia eius quasi filium migrasse se crederet, numquam cum illo lauerit, numquam illo praesente sederit ante praeturam.* — Aurel. 40. 4 *denique id tertio factum est, ita ut per sex menses imperatorem Romanus orbis non habuerit omnesque iudices hi*[i] (sic Lessing, Lex. p. 236 b, *ii* Peter) *permanerent, quos aut senatus aut Aurelianus elegerat.*

[2] *Vindicemque* Peter. De hoc asyndeto nominum propriorum u. p. 38.

Marius Maximus . . . num ad istam descriptionem curamque descendit? Salmasivs traditam illam scripturam *et Marius Maximus qui* seruauit nulla tamen annotatione explicatam. Etiam Iordan atque Eyssenhardt hanc genuinam ac sinceram memoriam esse iudicarunt, hoc tamen modo sermonem distinguentes: *contentus eo, quod eos cursim perstrinxerat et Marius Maximus, qui* e. q. s., id quod sensui plane repugnat. Est autem, ut taceam pronomen relatiuum parum eleganter immissum, sermo aequabiliter structus. Referenda enim àd Suetonium prior pars ambitus est, qui a *nam et Suet.* incipit, ad Marium Maximum autem posterior pars. Et respondent inter se sententiae, cum *non suis propriis libris* respiciat *tacuit* et *alienis innexuit* idem fere sit ac *cursim perstrinxerat.* Deinde sequuntur duae sententiae, ubi de Suetonio agitur, et post eas interrogatio ad Marium Maximum pertinens. Haec autem aequabilitas non cogit, ut longius progrediatur aliquis in oratione concinnanda auctore Petero, qui pronomen *qui* dempsit. Nam ueri simile est scriptorem duas structuras confudisse illius formae, quam primo instituerat, oblitus, cum animo eius obuersaretur in initio periodi illius scriptum esse *ut et Suetonius Tranquillus, qui* uel simile[1].

Similis inelegantia sermonis cernitur in uerbis imperatoris Alex. 9. 7 exscriptis: *Neque ego, p. c., idcirco timeo istud uenerabile omnibus nomen* (sc. Antonini) *accipere, quod uerear,*[2] *in haec uitia delabatur uita, [a]ut nos nominis pudeat, sed primum displicet alienae familiae nomen adsumere, deinde quod grauari me credo.* Apertum est *primum* et *deinde* inter se respondere. In posteriore autem membro *quod* coniunctio posita est, quasi haec sententia cum illa *quod uerear* iuncta sit.

---

[1] Fortasse similis ratio est Carus 13. 5, ubi de uera lectione inter uiros doctos non constat uariaque conamina in medium prolata sunt. Hoc autem traditur: (Diocletianus, cum Aprum quendam percuteret, hoc dixisse fertur:) »*Gloriare Aper, 'Aeneae magni dextra cadis.'*» *quod ego miror de homine militari, quamuis plurimos plane sciam* (*plus quam* PB) *militares uel Graece uel Latine uel comicorum usurpare dicta uel talium poetarum. ipsi denique comici plerumque sic milites inducunt, ut eos faciant uetera dicta usurpare. nam et* »*Lepus tute es: pulpamentum quaeris*» *Liui Andronici dictum est, multa alia, quae* (*multa aliaque* Peter) *Plautus Caeciliusque* (*caeliusque* P¹) *posuerunt.* Haud scio an scriptor orationem sic persecutus sit, uelut si ante scripsisset: *nam et* ». . .» *huius modi est, quod Liui Andronici dictum est* uel simile. Durius tamen asyndeton est, quare nihil pro certo affirmari potest.

[2] De *ne* hoc loco omisso cf. p. 2 n.

CAP. VIII.

De particulis copulatiuis abundanter usurpatis.

Apud recentiores scriptores particulas cum multas tum copulatiuas saepe pleonastice poni LÖFSTEDT saepius docet (Beiträge p. 37, Stud. p. 27 sq., 33, Per. Aeth. p. 61). Praeter alia autem uaria genera uocularum copulatiuarum abundanter usurpatarum is quoque usus est, ut *et* siue *nec* una cum *que* positum notiones uel sententias nectat. Talem locum apud S. H. A. uindicauit AHLQUIST (p. 139) contra PETERVM *et* expellentem: Alex. 14. 5 *ipse autem, cum parentis hortatu animum a philosophia et musicaque* (*musica quae* PB) ⟨*ad*⟩ *alias artes traduceret, Vergilii sortibus huius modi inlustratus est.*

Accedunt haec duo exempla pleonasmis similibus instructa, quae tamen nondum satis liquida esse concedo. Atque primum conabor, si ad huius loci obscuritatem dispellendam aliquid afferre possim, Alex. 33. 4, ubi hoc scriptum exstat: *clamides hirtas Seueri et tunicas asemas uel macrocheras et purpureaque non magna ad usum reuocauit suum.* PETER uoces *et purpureaque* cruce notauit, in apparatu autem critico commendat *quae ex purpura non magna*. Alii alia coniecerunt: SALMASIVS in textu scripsit *ex purpura non magna*, in aduersariis autem annotat »forte: *et purpurea quae non magna* uel *e purpura quae non magna*». Atque hoc modo etiam IORDAN et EYSSENHARDT textum restituerunt; agmen claudit ELLIS (Hermath. 1905 p. 415) *ex purpuraque non magna* legi iubens. Vocem uero *purpurea* recte se habere existimauerim. Cum enim interdum adiectiua neutra numeri pluralis substantiui uice usurpata uestimenta significent, etiam *purpurea* pro *purpureis uestibus* usurpari posse putem[1]. Quid autem *magna* sit, ob-

[1] Eiusdem generis haec sunt: *coccina* pro *coccinis uestibus*, quod indicatur apud GEORGESIVM, I 1223, atque in Thes. III 1393. 59; *forensia*, Suet. Cal. 17. 2, quod per »Staatskleider», »Prunkgewänder» GEORGES reddit, *multicia*, Iuuen. II 66, 76. XI 188, *ianthina* (GEORGES II. 14), *lugubria* (id. II. 722).

scurius est. Eam partem tunicae, quae ostro tincta erat, hanc uocem respicere SALMASIVS (p. 211) uult, qui de hoc loco sic iudicat: »dicitur igitur Alexandrum usum esse tunicis asemis, quae nihil prorsus haberent purpurae, uel macrocheris, quae purpuram quidem haberent, sed non magnam, non igitur latis clauis erant insignitae, sed paruis et angustis. et sane Seuerum Spartianus non scripsit nihil prorsum habuisse purpurae in tunicis, sed uix aliquid purpurae habuisse». Hoc consentit cum uerbis imperatoris, Alex. 40. 10, *Si lineae idcirco sunt, ⟨ut⟩ nihil asperum habeant, quid opus est purpura in linea?* Aegre tamen hic sensus illis uerbis *(ex purpura quae non magna)* tribui potest. Illum autem locum, quem uerba Salmasii respiciunt, Seuer. 19. 7 euoluamus: *Hic tam exiguis uestibus usus est, ut uix et tunica eius aliquid purpurae haberet, cum hirta clamyde umeros uelaret*, ubi scriptor tunicam et uilem et strictam designare uult, cum *exiguus* idem fere ac »dürftig», »spärlich» esse uideatur. Apud alium uero, Hor. Epist. I. 19. 13, BLÜMNER (Die römischen Privataltertümer = Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft IV. 2. 2, München 1911, p. 212 n. 2) *exigua toga* eo modo explanat, ut *exigua* paruitatem uestis arguat. Hi autem loci, Alex. 33. 4 atque Horatianum illud, similitudinem aliquam habent. *Magna* enim, quae uox magis quam *purpurea* premenda est, uestimentorum magnitudinem propter luxum uulgatam spectare mihi uidetur, cum aut *longa, promissa* aut *laxa, fusa* ualeat[1]. Quare mihi *et purpureaque non magna* (»und Purpurkleider mässiger Grösse») primigenia lectio esse uidetur. Neque longe dissimiles sunt hic locus atque ille, Seuer. 19. 7, licet hic magnitudo, illic magis uilitas significetur. Nam eo consentiunt, quod imperatorem utrumque uestimenta pretiosa in odio habuisse significant.

[1] Conferas uelim haec exempla: Aurel. 13. 4 *subarmalis profundus* et Aurel. 29. 1 *pallium breue purpureum lanestre.* — Adiectiuum *magnus* his locis inuenitur, ubi potius longitudo quam magnitudo rei indicari debet: Hadr. 12. 6 *stipitibus magnis,* Helius 2. 4 *magnis crinibus,* Maximin. 28. 8 *calciamentum, . . . quod constitit pede maius fuisse hominis uestigio.* Cf. etiam Alex. 59. 4 *magnis igitur itineribus . . . contendit.* — Obseruandum est etiam illud exemplum, quod occurrit Alex. 58. 3, *eos* (captiuos) *militiae, non tamen magnae deputauit,* ubi CLOSS *non magnae* per »von minderer Wichtigkeit» reddit. An est »lang» uel »streng»? Cf. NÄGELSBACH p. 276 sqq. — Conferenda etiam est significatio adiectiui *breuis* Alex. 39. 1 *unum tantum poculum amicis exhibebat in honorem Alexandri Magni, idque breuius.*

Leuis quidem ea mutatio est, qua Salmasivs, ea explanatione, quam primo proposuit, non contentus, hanc lectionem effecit *et purpurea, quae non magna.* Quae si probatur, nulla abundantia locus affectus est, ellipsi uero, quae ferri potest[1]. Sed haec emendatio non necessaria est. Quare locum ea ratione, quam ante exposui, explanare maluerim.

Deinde ad alterum locum, ubi pleonasmus est particularum *et que* simul positarum, progrediamur: Trig. tyr. 24. 2 *et cum multa Tetricus feliciterque*[2] *gessisset diuque imperasset, ab Aureliano uictus . . . uolens se grauissimo principi et seuerissimo dedit.* Sic Peter leui correctione scripsit pro tradito *gessit et diuque.* Verum e ratione palaeographica facilius *gessit et* e *gessisset et*

[1] Durae ellipses uerborum non raro apud S. H. A. inuenias, uelut Gall. 19. 1 *de quo qui‹dem›* (*quippe* PB) *prope nihil est dignum, quod in litteras mittatur, nisi quod nobiliter natus, educatus regie, occisus deinde non sua sed patris causa* (sc. sit). Cf. etiam Diad. 8. 9 *ex qua* (epistula) *apparet, quam asper futurus iuuenis* (sc. esset), *si uixisset,* quem locum uindicauit Petschenig (III p. 358). In sententia relatiua uerbum omittitur neque a Petero immittitur Gord. 32. 3: *thermae, quales praeter urbem utcunque nusquam in orbe terrarum.* — Uncis Peter haec uerba saepsit, Gord. 17. 1, *ut nonnulli* (sc. tradunt) *ab Antoninis, ut plurimi ab Antoniis duxit* (sc. originem), neque tamen eum id iure fecisse mihi persuasum est (cf. p. 81 n. 2). — Eiusdem generis est Diad. 5. 6 *haec atque alia omina fuisse multi in litteras rettulerunt, sed illud praecipue quod, cum in cunis esset Diadumenus, et leo ruptis uinculis, ut quidam, ferus effugisset atque ad incunabula eius uenisset, puerum delinxit et inuiolatum reliquid,* ubi ad *ut quidam* uix ex antecedenti *in litteras rettulerunt* uerbum dicendi suppleri potest, quia hae sententiae aequis legibus non sunt. Simile *ut quidam* occurrit Alb. 3. 2, quod nescio an immerito Peter falsum esse iudicet: *Extat denique illius contio, qua, cum accepit imperium, et quidem Seueri, ut quidam, uoluntate firmatum, huius rei memoriam facit.* — Verbum *agendi* omittitur Tac. 19. 4: *gratias* (sc. ago) *exercitui Romano et uere Romano.*

Denique Petervm uerbum praeter necessitatem addidisse puto Diad. 3. 4: *haec* (*sunt* add. Peter), *quae de imperio sint dicenda; nunc ueniamus ad omina imperii.* In id genus transitionibus uerbum omitti posse arbitror, sicut in trita illa formula *sed haec hactenus.* Cf. Get. 1. 7 *et haec de Antonini nomine*; Maximin. 29. 5 (post litteras exscriptas) *haec Alexander de Maximino.* (De *sint dicenda* pro *sunt dicenda* scripto cf. Baehrens, Philol. Suppl. XII (1912) p. 501 sqq.)

Cf. etiam Petschenig l. l.

[2] De *feliciterque* u. infra p. 124.

quam e *gessisset* proficisci existimo[1]. Itaque scribendum putauerim ... *feliciterque gessisset et diuque imperasset* ...[2].

Iam illud restat, ut de particulis alio modo abundanter iunctis pauca dicam. Offensioni Petero fuit *et-autem* Pesc. 5. 5: *sane illud fecit proficiscens, ut legiones ad Africam mitteret, ne eam Pescennius occuparet et fame populum Romanum perurgueret. et uidebatur autem id facere posse per Libyam Aegyptumque uicinas Africae.* Quamquam *et*, quod a Petero secluditur, facile e dittographia oriri potuit, hoc tamen genuinum esse opinor, cum

[1] Saepe apud S. H. A. exempla haplographiae inuenias. Simillimo autem uitio etiam hi loci affecti sunt: Ver. 9. 8 *prospexit* pro *prospexisset*, Marc. Ant. 13. 6 *emis⟨is⟩set*, Carac. 2. 7 *promis⟨is⟩se*, Carac. 2. 11 *permis⟨is⟩se*, quae menda a prima manu codicis Palatini admissa sunt, postea a recentiore manu correcta, tum Heliog. 23. 6 *promis⟨is⟩se*. Haec omnia nescio an ex haplologia originem ducant. Praeterea haec attendas uelim: Auid. 2. 5 *affecta* (*-u* PB) pro *affectata* (*tyrannide*), ubi *adfecta* utrum ex haplographia an haplologia ortum sit, dubium uidetur (cf. Hadr. 4. 3); Auid. 8. 2 *reprehendum* P¹ pro *reprehendendum*; Seuer. 12. 4 *cons⟨ti⟩tuta*; Seuer. 12. 8 *apparet* P¹ pro *appareret*; Opil. 12. 5 *aperi⟨ri⟩*; Opil. 13. 3 *uer⟨ber⟩andis*; Heliog. 14. 6 *condit* PB, Peter, an *condidit*? (Lessing Lex. p. 79 a); Alex. 44. 1 *conui⟨ui⟩is*; Alex. 44. 5 *consti⟨ti⟩sset*; Maximin. 23. 1 *reddit* PB, *reddidit* Peter, cf. Alex. 22. 3; Gord. 27. 6 *reddimus* P¹ pro *reddidimus*; Valer. 2. 1 *gratul⟨ar⟩er*? (*gratuler* Peter); Gall. 12. 5 *uendi⟨di⟩sset*; Trig. tyr. 10. 14 *merentur* P¹ pro *mererentur*; Aurel. 4. 1 *ui⟨ua⟩cissimus*; Aurel. 18. 3 *occurre* P¹ pro *occurrere*; Tac. 17. 3 *pur⟨pur⟩ascere*; Prob. 20. 4 *subie⟨ce⟩rat*? haec denique Get. 6. 3 *percuss⟨us s⟩it*; Alex. 64. 1 *imperantibus ⟨us⟩que*; Maximin. 11. 1 *que Maximino* P¹ pro *quem a Maximino*.

[2] De hoc usu pleonasmi praeter Löfstedtivm l. l. agunt Schmalz p. 507, Martin p. 72, Ahlquist p. 138 sqq.

Tacitusne uero huic consuetudini sermonis indulserit, dubium uidetur. Exstat tamen nonnullis locis in libris manu scriptis abundans particula: Ann. I. 65 (p. 36. 5) (Augustus) *clamitans »en Varus et eodemque iterum fato uinctae legiones«.* — Hist. II. 2 (52. 3) *His ac talibus inter spem et metumque iactatum spes uicit* (sic Med. 68. 4, alter codicum hunc locum exhibentium). — IV. 53 (182. 15) *argenti et aurique stipes.* — IV. 54 (182. 21) *Audita interim per Gallias et Germaniasque mors Vitelli.* — Hist. I. 80 (44. 5) *fremit miles et tribunos et centurionesque proditionis arguit* (*et* ab eadem manu se ipsa corrigente deletum est). Hos omnes locos editores mutarunt.

In codicibus Plin. Paneg. idem pleonasmus exhibetur 61. 6 (56. 33), ubi particulae enuntiationes connectunt: ... *ut duorum consulatus amplecteretur et collegamque te non uni daret*, atque in eisdem libris Paneg. XII. 21. 3 (306. 9) *Rheno et Danuuioque.* Utroque loco Baehrens, sed, ut uidetur, non sine aliqua dubitatione, *et* e textu eiecit.

Duos locos Dombart in editione sua Commodiani (C. S. E. L. XV p. 212) indicat, quorum hic dubius uidetur: Apol. 324 *Adam degustato pomo mori*

apud alios scriptores haec iunctura non inusitata sit[1]. — Comm. 17. 7 *nec* idem ac *ne-quidem* ualere uidetur: *Opera eius praeter lauacrum . . . nulla extant. sed nomen eius alienis operibus incisum senatus erasit. nec patris autem sui opera perfecit.* Pro *autem* supposuit Petschenig (III p. 350) *saltem.* Sed profecto *autem,* ut Peter scripsit, reuocandum est.

Et-enim quoque abundanter simul ponuntur Alex. 45. 3: (indicabantur) *per ordinem mansiones, deinde statiuae, deinde ubi annona esset accipienda, et id quidem usque quamdiu ad fines barbaricos ueniretur. et iam enim inde tacebatur et omnes ambulabant*[2], *ne dispositionem Romanam barbari scirent.* A Petero *et* tollitur. Quamquam similem locum non inueni, tamen neutram particulam eiciendam crediderim, cum neque *et* neque *enim* otiosum sit, hoc nexum interiorem sententiarum, illud tenorem orationis indicans. Neque secus iudicandum esse puto de simili loco, Trig. tyr. 30. 2 *eo usque peruentum est, ut Gallieno nequissime agente optime etiam mulieres imperarent. et quidem peregrina enim, nomine Zenobia, de qua multa iam dicta sunt . . . diutius, quam femineus sexus patiebatur, imperauit.* Temptarunt hunc locum Peter *etiam* pro *enim* substituens, Aem. Baehrens (Neue Jahrbücher 133 (1886) p. 222) *et quidem peregrina femina* coniectans, Petschenig (cf. Lessing Lex. p. 183 a) hoc modo emendans . . . *mulieres imperarent et quidem ⟨peregrinae⟩. peregrina enim* e. q. s. Quorum nemo mihi persuasit. Non enim sensus explicatiuus bis indicatus, et per *et quidem* et per *enim* (»Und zwar herrschte nämlich . . .»), tam durus uidetur, ut respuenda sit tradita scriptura.

Löfstedt (Per. Aeth. p. 63 et Tert. III p. 40) interdum in sermone scriptorum infimi aeui particulas cum multas tum *et*

---

iussus obi<u>it; | cuius de peccato morimur sic et omnis itemque (*idemque* codex). Haesitat ipse editor, »an *et*=auch, *que*=und zwar sit». Altero uero loco, Apol. 623 *Et Deus est, hominem totidemque se fecit. | et quicquid uoluerit, faciet,* abundanter *et que* simul posita quis dicat? Potius hic locus exemplum est particulae *que* ab initio sententiae remotae, cum post *hominem* collocari debuerit.

[1] Conferas uelim Thes. II. 1593. 76 sqq. et inspicias Kühnervm et Steg-mannvm (II p. 97), Schmalzivm p. 508, Baehrensivm Philol. Suppl. XII (1912) p. 396 sq., 536, Löfstedtivm (Glottae uol. III p. 31). De *sed — autem* egit idem Tert. III p. 40, de aliis pleonasmis l. l. p. 36 sqq.

[2] *Ambulabant* incertum uidetur, cui uoci Lessing (Lex. p. 26 a) signum dubitationis praescripsit. Baehrens (Neue Jahrbücher 133 (1886) p. 218) ante *ne* addidit *nescii.*

abundanter in eadem sententia iterari monstrat. Eodem modo hunc locum comparatum esse putauerim: Gord. 23. 6 . . . *bellum Persicum natum est. quando et adulescens Gordianus, priusquam ad bellum proficisceretur, et duxit uxorem filiam Misithei, doctissimi uiri, quem causa eloquentiae dignum parentela sua putauit et praefectum statim fecit.* Prius *et* notat Gordianum eodem tempore, quo bellum exortum est, uxorem duxisse, quam rem etiam posterius *et* respicere necesse est. Quae particulae cum longius inter se remotae sint, pleonasmus durus non est. Neque ante extrema uerba *et praefectum statim fecit* distingui potest, ut illa sententia sui iuris facta cum hac enuntiatione *et duxit uxorem filiam Misithei* iungatur. Cum igitur posteriora *et* non inter se respondeant, *et* primo et secundo loco otiosum esse necesse est. Neque tamen est, cur *et*, quod ante *duxit uxorem* cet. positum est, e textu Iordano et Eyssenhardtio auctoribus eiciatur.

CAP. IX.

De explicatiuo usu particularum copulatiuarum.

Illam consuetudinem, qua notio particulis *et quidem* uel iuxta positis uel uoce, quam efferunt, diremptis explicatur, Cotta p. 30 perstrinxit. Eodem pacto per *idque* res additur digna, quae cognoscatur, et nonnumquam ita, ut *id* prorsus ut *id quidem*, »und zwar», notionem, quae in uerbo praecedenti est, iterum exprimat. Verbi gratia affero Heliog. 19. 7 *strauit et triclinia de rosa et lectos et porticus ac sic ea deambulauit idque omni florum genere, liliis, uiolis, hyacinthis et narcissis.* De qua re cf. praeter Kühnervm et Stegmannvm (I. p. 619) Klebs (Rhein. Mus. 47 (1892) p. 527) et Lessing (Lex. p. 294 b)[1].

Alii quoque casus uocis *is* aliaque pronomina per *et que atque* addita notionem explicant. Ex magno aceruo hoc exemplum delibo, Gord. 33. 4 *sua manu suisque gladiis et isdem, quibus illum percusserant, inter*[em]*isse dicuntur.*

Sed hic usus particularum copulatiuarum latius patet. Per has enim uoculas uox uel pars sententiae, cui maior uis attribuenda est, ceteris additur, ita ut explicatiuam uim harum particularum agnoscere possimus.

Huius generis est illud *et*, quod Cottae »cum grauitate positum» uidetur, Carus 8. 6 *subito enim conclamatum est imperatorem mortuum, et post illud praecipue tonitru⟨u⟩m, quo⟨d⟩ cuncta*

---

[1] Non cum Klebsio in hunc numerum refero Alex. 39. 1: *unum tantum poculum amicis exhibebat in honorem Alexandri Magni, idque breuius, nisi si quis, quod licebat, maius libere postulasset*, ubi *id* non notionem uerbi iterat, cum ad *idque breuius* audiendum sit *poculum.* (Sic Lessing, Lex. p. 54 b, praemissa dubitationis nota.) — Get. 2. 2, quem locum Lessing huc refert, pro *idque* traditum est *atque*, quod me iudice retinendum est (cf. p. 129 sq.).

terruerat[1], ubi *praecipue* membro explicatiuo pondus attribuit. — Nulla uoce conciliante per *et* uocabulum additur et quidem aduerbium: Seuer. 8. 10 *egressus ab urbe . . . seditionem ingentem . . . passus est. occurrit ei et statim Geta frater suus.* — Alex. 27. 10 *in armis magnus*[2], *adeo ut multa bella et gloriose gess⟨er⟩it*[3]. — Prob. 13. 6 *tanta autem illic proelia et tam feliciter gessit, ut* . . . — Eodem munere *que* fungitur Trig. tyr. 24. 2, *et cum multa Tetricus feliciterque gessi⟨sse⟩t et diuque imperasset, ab Aureliano uictus . . . uolens se grauissimo principi et seuerissimo dedit.* Cotta (p. 34), prius *que* expunxit, non iure. De hoc loco u. etiam p. 119 sq.

Membrum explicatiuum e praepositione cum substantiuo iuncta constat Ant. P. 7. 11, *nec ullas expeditiones obiit, nisi quod ad agros suos profectus est et ad Campaniam,* ut in codice Palatino teste Dessavo scriptum est (u. Lessingii Lex. p. 488 a), Peter autem *et* in textum non recepit. Cum in Campania magna imperatorum Romanorum praedia fuerint (u. Hirschfeldii Die kaiserlichen Verwaltungsbeamten bis auf Diocletian, Berlin 1905, p. 128) atque saepe principes huc secessisse memoriae proditum sit (u. Suet. Aug. 72. 2, 98. 1, Tib. 39 atque S. H. A. Marc. Ant. 10. 7), ueri simile est haec itinera in agros Campanos facta esse. Quod si ita est, *et* explicatiue usurpatum esse patet.

Idem usus sermonis cernitur Carus 20. 4, ubi in libris manu scriptis exstat: *ille enim patrimonium suum scaenicis* (*scaenices* PB) *dedit, heredibus abnegauit, matris tunicam dedit mimae, lacernam patris mimo, et recte, si auiae pallio aurato atque purpureo pro syrmate tragoedus uteretur.* Hoc uariis modis a uiris doctis sollicitatum est. Peter crucem uerbis *et recte* praeposuit, Novák (p. 41) se textum sanare credidit *recte* in *ridebat* mutando, Pvrser denique (Hermath. 1908 p. 38) aut *et* in *nec* mutandum aut *nec* post *et* intermittendum censuit, *nec* pro *ne-quidem* accipiens. His uerbis locum explanare conatus est: »Messala *gave* his *mother's tunic* to a *low actress;* while he would not have done

[1] Sic Lessing (Lex. p. 521 b); *tonitruum, quo cuncta* (*contra* P[1]) *territa erant* (*terruerat* P) Peter.

[2] Errore typographico in Peteri editione *magnis* positum est.

[3] An *gessit* scribendum est? In P (et B) exstat indicatiuus post *ut* consecutiuum Alex. 29. 2, Maximin. 9. 6 (Peter, Philol. 43 (1884) p. 193 indicatiuum damnat, contra Lessing, Stud. p. 12 sq.), Pesc. 3. 9 *miserum est, ut . . . non possumus.* Cf. Schmalz p. 573, Löfstedt, Per. Aeth. p. 254 sq.

right, if he had lent his *grandmother's cloak* to a *tragedian*. The sentence is elaborately antithetical. The *tunica* was worn closer to the person than the *pallium*, as the proverb *tunica propior pallio* (Plaut. Trin. 1154)[1].» Facere non possum, quin hoc modo sensui non satis factum esse existimem. Apparet enim res a maioribus hereditate acceptas, si tragoedis uel mimis uel talibus uilibus hominibus traditae sint, turpitudine ac dedecore affectas esse. Itaque mihi persuasum habeo illud membrum explicatiuum *et recte* e. q. s. per ironiam dictum esse. Atque ideo hoc exemplum, ut solet, in maius elatum atque auctum est. Ut enim magis eluceat, quam inhonestum sit patrimonium histrionibus dari, ornamentum magni pretii auitum commemoratur, quod tali homini non conuenire apertum est. Quae cum ita sint, non lacunam ante *et recte* statuere Salmasio (p. 506) auctore necesse uidetur, qui idcirco uerba quaedam deesse putauit, quia nulla ante mentio auiae facta est neque, cur tragoedum pallio uti non oporteret, expositum.

Eodem modo atque *et* ponitur *nec:* Hadr. 8. 11 *tertium consulatum, nec secum tamen, cum ille bis ⟨ante⟩ Hadrianum fuisset, ne esset secundae sententiae, non petenti ac sine precatione concessit*, quo loco in membro explicatiuo etiam particula aduersatiua posita est.

Quid olim in Palatino, codice nostro, scriptum fuerit, difficile est perspicere Diad. 7. 4. Testimonium eius hoc exstat: *quos* (uersus) *ego idcirco inserendos putaui, ut scirent omnes Antoninos* (*Antoninus* P¹B¹) *pluris* (*plures* PB) *fuisse quam deos ac* ‖ *trium principum amore, quo*[s][2] *sapientia bonitas pietas consecrata sit.* Pro *ac* supposuit Peter *ab*, quod tamen propter insolitam significationem non bene inuentum esse uidetur. Ellis (Hermath. 1905 p. 411) *hoc* coniecit neque mihi persuasit. Certe *ac* non offendit atque etiam Lessingio (Lex. p. 3 a) idem atque *et quidem* esse uidetur. Cum tamen *c* littera et *t* prima sequentis uocabuli littera in rasura scripta sit, uereor ne semper uetus scriptura ambigua maneat.

Membro explicatiuo enuntiatio consecutiua adiuncta est Maximin. 24. 2 *sed milites interfectis publicis hostibus recepti sunt ab oppidanis rogantes, et primum ita ut ante imagines Maximi et*

---

[1] *tunica propior palliost* Plaut. Trin. 1154.

[2] De lectione codicum *quos*, pro qua Peter *quo* substituit, ut uerbum *consecrari* passiuo sensu positum esset, u. p. 57.

Balbini et Gordiani adorarent. Aem. Baehrens (Neue Jahrbücher 133 (1886) p. 219) uerba traiecit, ut fieret *et ita ut primum*, quod quin eo, quod traditur, peius sit non est dubium. Ut enim maius pondus accipiat, *primum* ante sententiam suam collocatum est. Eundem in modum interdum alia aduerbia collocari monstrant Kühner et Stegmann II p. 615, Löfstedt Tert. III p. 47[1].

Cum hoc usu particularum copulatiuarum conferenda est consuetudo *sed* particula uocem uel partem enuntiationis magna ui praeditam extollendi, de quà re disputarunt Kühner et Stegmann (II p. 77), Schmalz (p. 500), Löfstedt (Per. Aeth. p. 179 sq.), Thörnell (Tert. I p. 42 sqq.). Haec autem exempla affero:

Ant. P. 8. 6 *successorem uiuenti bono iudici nulli dedit nisi Orfito praefecto urbi, sed petenti.* Vocabulum extremum maximi

[1] De hac consuetudine disputant Baehrens (Philol. Suppl. XII (1912) p. 406) et Ballas (p. 12).

Non satis hunc usum perspexisse editores uidentur, qui nonnumquam particulam delerunt. Nec tamen illa in offensione est Plin. Paneg. 23. 6 (21. 1) *Inde tu in palatium quidem, sed eo uultu, ea moderatione, ut si priuatam domum peteres; ceteri ad penates suos quisque iteraturusque gaudii fidem, ubi nulla necessitas gaudendi est.* Hoc exemplum plane cum ea consuetudine sermonis, quam explicare mihi nunc in animo est, congruit. Multum ponderis his uocibus *iteraturusque* et ceteris inest. Itaque, quamquam facile *que* e *quisque* oriri potuit, frustra Baehrensivm illud seclusisse puto. Ut illo loco participium ita his locis adiectiua particula efferuntur: Paneg. VII. 14. 3 (231. 13) *O felix in imperio et post imperium felicior . . . diue Constanti, quem curru et paene conspicuo, dum uicino<s> ortus repetit occasu, sol ipse inuecturus coelo excepit!* — XII. 11. 1 (298. 13) *cum enim . . . Aquileiam quoque de legatis eorum ac supplicibus recepisses* . . . His quoque locis Baehrens, haud tamen scio an non recte, particulas eiecit. Alii loci sunt minus duri: III. 14. 2 (141. 25) *dicet aliquis: »quomodo tam multa tam breui tempore?« et recte.* — XII. 19. 5 (304. 28) *Gloriatus sit licet, et uere, summus orator humeris se Italiae in patriam reportatum.*

De *et, nec* pro *et quidem, et quidem non* a Suetonio adhibitis u. Frevnd p. 65, 66. Haec quoque exempla deprehendi: Iul. 26. 1 *cum senatum unum consulem nominatimque Gnaeum Pompeium fieri censuisset.* — Aug. 43. 2 *in circo aurigas cursoresque et confectores ferarum, et nonnumquam ex nobilissima iuuentute, produxit.* — Tib. 7. 3 *cum Iulia . . . dissedit et aliquanto grauius.* — Cal. 8. 5 *uersiculorum quoque fidem eadem haec eleuant et eo facilius, quod* . . . — Claud. 38. 1 *Ostiensibus . . . grauiter correptis eaque cum inuidia, ut in ordinem se coactum conscriberet. . . . ueniam dedit.* — Oth. 9. 3 *ut multi nec frustra opinantur.*

Cf. denique hunc locum, Bened. Reg. 61. 12, *Si uero postea uoluerit stabilitatem suam firmare, non rennuatur talis uoluntas, et maxime quia tempore hospitalitatis potuit eius uita dinosci.*

est momenti, cum hoc omisso prorsus praue de illo principe iudicaremus. Neque secus de his locis existimandum est: Ant. P. 7. 4 *perit et Priscianus reus adfectatae tyrannidis, sed morte uoluntaria.* — Comm. 1. 3 *Faustina cum esset Commodo* (*commodum* P¹B) *cum fratre praegnans, uisa est in somnis serpentes parere, sed ex his unum ferociorem.* — Alb. 10. 8 (ep.) *huic salarium duplex decreui, uestem militarem simplicem, sed loci sui, stipendium quadruplum.* Peter interpunctionem ante *sed* omittens *sed loci sui* ad membrum extremum traxit, melius autem Lessing (Lex. p. 631 a) ante *sed* distinguens haec uerba antecedenti membro applicauit. — Diad. 2. 1 (or.) *Habete ... aureos quinos et solitas promotiones, sed geminatas.* — Heliog. 29. 2 *iunxit et quaternas mulieres pulcherrimas et binas ad pabillum ... et sic uectatus est, sed plerumque nudus, cum illum nudae traherent.* — Alex. 33. 1 *Fecit Romae curatores urbis quattuordecim, sed ex consulibus uiros.* — Alex. 40. 9 *accepit praetextam etiam, cum sacra faceret, sed loco pontificis maximi, non imperatoris.* — Trig. tyr. 10. 12 (ep.) *duo saga ad me uelim mittas, sed fiblatoria.* — Trig. tyr. 29. 2 *hic priuatus ex tribunis in Africa positus in agris suis uiuebat, sed ea iustitia et corporis magnitudine, ut dignus uideretur imperio.* — Quatt. tyr. 6. 1 (ubi scriptor Bassum quendam, ut etiam 2. 1, alloquitur) *haec nos de Firmo cognouisse scire debuisti, sed digna memoratu*[1].

In exemplis nonnullis membro, quod a *sed* incipit, res uel notio ante uniuerse indicata angustioribus finibus circumscribi et restringi manifestum est.

Pesc. 12. 3 *Apud omnes constat, quod ... omnia correcturus fuerit ..., et quidem sine crudelitate, immo etiam cum lenitate, sed militari, non remissa et inepta atque ridicula.* — Alb. 2. 5 (ep.) *habiturus et purpuram, sed sine auro.* — Carac. 1. 4 *non ille in litteris tardus ... non lentus in clementia, sed sub parentibus,*

[1] Non Suetonii sermo ab hoc usu particulae *sed* abhorret, ex quo hos locos annotaui: Aug. 39 *alios poena, alios ignominia notauit, plures admonitione, sed uaria.* — Aug. 41. 2 *congiaria populo frequenter dedit, sed diuersae fere summae.* — Tib. 59. 2 (uersus) *et Marium, si uis, aspice, sed reducem.*

Neque haec consuetudo a Panegyricis Latinis aliena est. Cf. Plin. Paneg. 23. 6 (20. 26) (p. 126 n.) atque Paneg. XI. 18. 3 (288. 21 sq.) '⟨*concurrunt*⟩ (an ellipsis ferenda est?) *barbari ad arma, sed inuicem dimicaturi!*' '*Vicerunt barbari, sed consanguineos suos!*'

uisus. — Opil. 1. 5 *cum omnino rerum uilium aut nulla scribenda sint aut nimis pauca, si tamen ex his mores possint animaduerti, qui re uera sciendi sunt, sed ex parte, ut ex ea cetera colligantur.* — Opil. 13. 4 *uini cibique auidissimus, nonnumquam usque ad ebrietatem, sed uespertinis horis.* — Diad. 5. 6 *haec atque alia omina fuisse multi in litteras rettulerunt, sed illud praecipue quod* (leo ferus) *puerum delinxit et inuiolatum reliquid.* — Alex. 29. 4 *et res bellicae et ciuiles . . . per amicos tractabantur, sed sanctos et fidelis et numquam uenales.* — Alex. 34. 7 *habebat . . . et librum in mensa et legebat, sed Graece magis.* — Alex. 41. 3 . . . *ita ut annonas, non dignitates acciperent* (ministri) . . ., *sed annonas singulas, uix binas.* — Maximin. 2. 6 *primum eum cum lixis composuit, sed fortissimis quibus*[1], *ne*[c] *disciplinam militarem conrumperet.* — Maximin. 6. 7 "*Date alium, sed tribunum!*" — Gall. 20. 2 *unum ponam tamen, quod iucunditatem quandam, sed uulgarem habuit, morem tamen nouum fecit.* — Aurel. 41. 2 (ep.) *de uobis aliquem, sed dignum uestro iudicio principem mittite*[2].

Enuntiatum consecutiuum nonnumquam hac ratione additur, ut exceptio quaedam uel conditio statuatur: Heliog. 35. 6 *his addendi sunt Licinius* [Seuerus Alexander] *atque Maxentius, quorum omnium ius* (*uis* PB) *in dicionem tuam uenit, sed ita ut nihil* ⟨*de*⟩ *eorum uirtute derogetur.* — Alex. 20. 4 *dies denique numquam transiit, quando non aliquid mansuetum ciuile pium fecit, sed ita ut aerarium non euerteret.* — Alex. 43. 3 *quaestores candidatos ex sua pecunia iussit munera populo dare, sed ita* (*sedicta* PB) *ut post quaesturam praeturas acciperent.* — Maximin. 28. 6 *amicis paternis inmane quantum obsecutus est, sed ut donaret ac largiretur.* — Claud. 14. 14 (ep.) *iam cetera . . . pro moderatione praestabis, sed ita ut nihil ad*⟨*a*⟩*eret*[3].

---

[1] De *que* pronominibus et aduerbiis in hanc syllabam exeuntibus detracto cf. p. 34 et n. 1.

[2] Eiusdem generis sunt et Paneg. IV. 26. 4 (176. 28) *cruore oblitus, sed hostili*, et Plin. Paneg. 69. 5 (65. 11) *An aliud a te quam senatus reuerentia obtinuit, ut iuuenibus clarissimae gentis debitum generi honorem, sed antequam deberetur, offerres?* Baehrens *sed* eo defendit, quod post *debitum* audiendum sit *quidem*. Equidem nullam antithesin perspiciens *sed* eodem modo atque in ceteris a me prolatis exemplis explano, quo addito fit, ut postrema uerba oratorie magis emineant.

[3] Talis apud Suetonium locus est Iul. 69: *Seditionem per decem annos Gallicis bellis nullam omnino mouerunt, ciuilibus aliquas, sed ut celeriter ad officium redierint.*

Marc. Ant. 17. 2 enuntiatio relatiua correlato suo per *sed* additur sicut interdum per *et* (cf. cap. X): *speciale ipse bellum Marcomannicum, sed quantum* (*quanto* PB) *nulla umquam memoria fuit, cum uirtute tum etiam felicitate transegit.* Exspectabatur *sed* (uel *et*) *tantum, quantum* . . .

CAP. X.

De particula copulatiua inter sententias primariam et relatiuam adhibita.

Nonnumquam S. H. A. parum diligenti ratione ante enuntiatum relatiuum particulam copulatiuam posuerunt. Fit enim, ut cum membrum alterum desit, quocum sententia relatiua, cui multum ponderis inest, iungi possit, illa et ipsum correlatum inter se componantur. Hanc autem incuriam sermonis non semper editores perspexerunt.

Multis et uariis modis hunc locum uexarunt uiri docti, quamquam, quod traditum est, forsitan paene nulla prauitate laboret. A Petero quidem sic uulgatur, Get. 2. 2: *Fuit autem Antoninus Geta etiam ob hoc ita dictus, quod in animo habuit Seuerus, ut omnes deinceps principes quemadmodum Augusti, ita etiam Antonini dicerentur, idque* (*atque* PB) *amore Marci, uel fratrem suum quem* (*sem* P¹B) *dicebat et cuius philosophiam litterarumque institutionem semper imitatus est.* Pro *atque* supposuit Salmasivs (p. 167) *idque,* quod non solum a Iordano et Eyssenhardtio atque Petero receptum est sed ne a Lessingio quidem (Lex. p. 294 b) ullo dubitationis signo notatum. Deinde ante *uel* grauiter distinxerunt. Insolentior autem fit ea ratione collocatio pronominis relatiui, quod numquam alias apud S. H. A. sic ab initio sententiae remouetur[1]. Cum Petero et Lessingio facit Frankfvrter (Wiener

[1] Cf. p. 108 n.

Stud. 13 (1891) p. 249), nisi quod *patrem* pro *fratrem* coniecit. Cum autem *quem* coniectura tantum est Peteri pro illo, quod in codicibus exstat, *sem*, nihil hoc incertius est. Melius Iordàn et Eyssenhardt *sem* in *semper* mutantes hoc scripserunt . . . . *idque amore Marci, quem fratrem suum semper dicebat et cuius* . . . Quamquam, mea quidem sententia, et in *quem* pro *uel* et in *semper* scribendo a uero aberrauerunt. Mihi enim *sem* primitiuae scripturae uestigium esse uidetur, e quo facile se praebet *semet*, ut manus tertia codicis Palatini scripsit. Potest quidem *sem* etiam a *se* profectum esse, cum lineola litteram nasalem significans errore addita sit, sed omissio litterarum *et* mihi ueri similior uidetur. Requiritur autem, cum obiectum uerbi *dicendi* non deesse possit, pronomen, ne putet aliquis *sem* aut cum Iordano et Eyssenhardtio in *semper* mutandum esse aut delendum esse ut errore a sequenti *semper* ortum.

Si simul et traditum *atque* retinemus et uerba *atque amore Marci* ad illa, quae postea leguntur, trahimus, haec textus forma efficitur cum memoria codicum quam proxime consentiens . . . . *quemadmodum Augusti, ita etiam Antonini dicerentur; atque amore Marci uel fratrem suum semet dicebat et cuius philosophiam litterarumque institutionem semper imitatus est.* Huic lectioni repugnare uidetur, et quod insolito modo pronomina reflexiua iuxta posita diuersos homines respiciunt, et quod inconcinne enuntiatio relatiua particula copulatiua addita cum sententia primaria iuncta est. Necesse igitur est, ut de his rebus pauca dicam, et quidem primum de illo audacissimo usu pronominum disputabo.

Constat *suus* interdum apud S. H. A. aliosque idem atque *eius* ualere[1]. Durissimam tamen structuram illam esse non nego, qua in eadem sententia duo pronomina reflexiua adhibet scriptor, quorum alterum ad hoc, alterum ad illud substantiuum referendum est. Sed propius ad hanc rationem loquendi, quantum ad duritatem spectat, accedit ille usus pronominum, cum in enuntiatis finalibus, quorum alterum alteri subiunctum est, in priore *suus*, in posteriore *eius* eundem uirum respicientia ponuntur, Marc. Ant. 25. 6 *simul petit, ne qui senator tempore principatus sui occideretur, ne eius pollueretur imperium*, quem locum Lessing (Stud. p. 8) contra Peterum duce Madvigio *nece* post *ne* peruerse incul-

[1] Cf. Schmalz p. 619, Bonnet p. 694 sqq., Lessing (Lex. p. 649).

cantem uindicauit. Cf. etiam Seuer. 8. 10 *occurrit ei* (Seuero) *et statim Geta frater suus* (Seueri), *quem prouinciam sibi* (Getae) *creditam regere praecepit aliud sperantem.* Sed haec, quantum possunt, ualeant. Comparem uero structuram quod e S. H. A. non repertam habeo, ualde doleo, aliunde autem simile exemplum protulit Bonnet (p. 694 n. 5): Greg. Tur. Franc. V. 30 (p. 224. 8 Arndt) *tanto . . . amore dilexit, ut filio eius filiam suam promitterit rursumque filio suo filiam suam expeteret.* Cf. etiam id. Franc. V. 14 (p. 203. 2) *orans, ut sibi sanctus occurreret atque ei concederit gratiam suam,* ad quod Bonnet (p. 695 n. 1) annotat: »Ici, il ne serait pas impossible que Grégoire eût voulu éviter la rencontre de *sibi . . . suam,* rapportés à différentes personnes. Mais il est permis de croire à un effet du hasard aussi bien que dans l'exemple précédent (Franc. IV. 12 (p. 148. 23)) *rogat suppliciter, ut ei chartas . . . daret sibique possessionem hanc subderet*».

Porro licet non recte se habere *semet* ostendatur, tamen eam incuriam, qua inter se componuntur sententia relatiua et enuntiatum primarium, ab historico nostro non abiudicandam esse contenderim. Nam haec consuetudo sermonis neque apud alios neque apud hos scriptores incognita est. Attendas enim hos locos, quos Peter intactos reliquit: Ant. P. 13. 4 *solusque omnium prope principum* (Antoninus Pius) *prorsus* ⟨*sine*⟩ *ciuili sanguine et hostili, quantum ad se ipsum pertinet, uixit, et qui rite comparetur Numae, cuius felicitatem pietatemque . . . obtinuit.* Hoc loco per *et* enuntiatio relatiua additur, quae ad subiectum sententiae primariae referenda est. Cf. hunc locum, Ant. P. 2. 2 *in cunctis postremo laudabilis et qui merito Numae Pompilio ex bonorum sententia comparatur* (*comparatus* PB). — Alex. 13. 6 *dixerunt eum summam rerum tenturum, idcirco quod hostiae de ea uilla, quae esset Seueri imperatoris, adductae essent, et quas in illius honorem coloni parassent.* Forsitan aliquis enuntiatum relatiuum cum uocibus *de ea uilla* iunctum esse putet. Quod si ita esset, illas attributi loco correlato sententiae relatiuae applicatas esse necesse esset (»weil Opfertiere aus Kaiser Seuerus' Landgut und ihm zu Ehren von den Bauern angeschafft herbeigeführt worden seien»). At nemini persuadeat, cum illa uerba propter eam uim, quae iis inest, ad praedicatum *adductae essent* referri ratio postulet.

Non minus ineleganti ratione copulantur sententia relatiua et temporalis, cui illa subiuncta est, Heliog. 6. 8, ubi nunc sic, et recte quidem, uulgatur: *et penetrale sacrum est auferre conatus, cumque seriam quasi ueram rapuisset, quamque uirgo* (*quamquisgo* P¹B¹) *maxima falso* (*-am* PB) *monstrauerat atque in ea nihil repperisset, adplosam*[1] *fregit.* A manu secunda codicis Palatini *quamquisgo* in *quamquis ũgo* mutatum est. Cum uero *que* in libris manu scriptis sic: *q;* exprimi soleat atque aegre illud *q;* errore quodam in textum irrepere potuerit, ueri similius est *quamquisgo* significare *quamque* (i. e. *quamq;*) *uirgo* quam, ut Novákio (p. 19) placuit, *quam uirgo.* Petschenigio autem (I p. 403) *quasi ueram* et *quamque uirgo . . . demonstrauerat* coniungenda esse uisum est, et fortasse recte. Potius tamen historicus illa ineleganti oratione, quam apud hos scriptores coargui, usus esse uidetur.

Peter, cum his locis ueram lectionem seruet, sibi ipsi non constare uidetur in *que* Gord. 14. 4 (or.) delendo: *nam et uiginti uiri consulares contra nos lecti sunt, quibusque resistendum est nobis fortiter agentibus, uobis feliciter dimicantibus.* Hunc locum, ut traditus est, defendit Baehrens (Mnem. 1910 p. 416) grauius ante *quibusque* interpuncto[2]. Existimat enim hanc incuriam ori-

[1] *adplaosam P, adplausam* Peter. Veram lectionem restituit Novák p. 19. Cf. etiam Lessing (Lex. p. 14 b).

[2] De hac consuetudine scribendi disputat Baehrens l. l. p. 416 sqq., ubi exempla e Panegyricis Latinis aliisque profert, atque Philol. Suppl. XII (1912) p. 402 sqq. Neque tamen necesse uidetur omnia exempla, ut ille posteriore loco, explanare. Sen. Epist. 90. 18 *tecta tegimentaque et fomenta corporum et cibi et quae nunc ingens negotium facta sunt, obuia erant et gratuita et opera leui parabilia.* Hoc loco sententia relatiua notione generalis esse uidetur, quae omnia, quae ante dicta sunt, complectitur, quo fit, ut *et*, quod Hense in editione a. 1914 prolata addubitat, legitimum sit. — Sen. Contr. X praef. 5 *animus* (sc. Labieni) *inter uitia ingens et ad similitudinem ingeni sui uiolentus et qui Pompeianos spiritus nondum in tanta pace posuisset,* ubi ad adiectiua, ut saepe fit, enuntiatum relatiuum per particulam copulatiuam additur. — Paneg. II. 14. 1 (101. 13) *Nam delicati illi ac fluentes, et quales tulit saepe res publica, parum se lautos putabant,* ubi Thörnell *et* particulam uim complexiuam habentem tutatus est (Stud. paneg. p. 48). Hic quoque locus, Plin. Nat. Hist. XXVIII. 2. 20. IV, secludendus erat: *neque est facile dictu, externa uerba atque ineffabilia abrogent fidem ualidius an Latina et inopinata et quae inridicula uideri cogit animus . . .,* ubi adiectiua et enuntiatio relatiua composita sunt. In hoc denique exemplo, Cassian. c. Nest. VII. 11. 2, non mihi persuasit *et* explicatiuam naturam habere: *sed magnis signorum indiciis . . . ad suspicionem et inquisitionem rei huius conpellebatur, utpote et qui semel iam ab Iohanne audierat: »ecce agnus dei . . .« et ite-*

ginem trahere e duabus structuris in unam conflatis, *quibus* et *iisque*. Eandem rationem sequitur in editione Panegyricorum Latinorum p. 325, ubi hoc annotat: »*que* abundat: *quaeque* = *quae* (secundum analogiam *eaeque*)». Praeter hanc autem explicationem alteram profert Mnem. 1910 p. 418, ubi hunc usum ex alia confusione quadam profectum esse opinatur. Iam enim tertio post Chr. n. saeculo pronominum formas alteras *que* in fine exhibentes, alteras *que* carentes inter se confusas esse et assimilatas dicit, ita ut interdum *que* alteris formis addatur, alteris adimatur. Quo factum esse, ut primum *quique* pro *qui*, *quis* pro *quisque*, quae pronomina usitatissima essent, deinde *uter* ceteraque pro *uterque* ceterisque usurparentur[1]. Denique in sermone uulgari in locos formarum breuiorum saepissime longiores substitutas esse monet.

rum ab eodem: »ego a te debeo baptizari . . .» ubi nescio an, quamquam sermo inconcinnus est, *et* ante *qui* collocatum posterius *et* respiciat.

In hunc numerum referendum est exemplum, quod e Ciceronis epistulis protulit Sjögren (Comm. Tull. p. 114), Ad Att. VI. 3. 5 *Qui quia non habuit a me turmas. . . ., fortasse suscenset, aut quia praefectus non est, quod ego nemini tribui negotiatori, non C. Vennonio, meo familiari, non tuo, M. Laenio, et quod tibi Romae ostenderam me seruaturum; in quo perseueraui.* Hoc loco illud *et quod . . . seruaturum* ad totam illam sententiam *quod ego nemini tribui negotiatori* pertinet. Cf. etiam exempla e Plauto et Terentio allata, ubi sententiae relatiuae, ut in illo Tulliano, componuntur addita particula copulatiua, etiamsi ad diuersas notiones referuntur (l. l. et De part. cop. p. 119 sq.).

Ac ne a Tacito quidem hic usus alienus est, ut ex his locis apparet: Hist. IV. 84 (202. 27) *deum ipsum multi Aesculapium . . . quidam Osirin . . . plerique Iouem . . . plurimi Ditem patrem insignibus, quaeque in ipso manifesta, aut per ambages coniectant.* Pro *quaeque* scripsit Pvteolanvs simplex *quae* (*queq:* cod.), Andresen autem memoriam ueterem secutus est. — Ann. XV. 41 (346. 3) quoque haud scio, an ordo uerborum secundum libri manu scripti testimonium seruandus sit, *fuere qui adnotarent XIIII Kal. Sextiles principium incendii huius ortum, et quo Senones captam urbem inflammauerint.* Transposuit Andresen auctore Rhenano uerba, *quo et* scribens, sed inutiliter, ut uidetur.

Talem apud Orosium locum Lic. phil. J. Svensson amicus mihi demonstrauit, Hist. V. 15. 6 *Insequenti anno A. Postumium . . . oppressit, cuique uicto, ignominiosissimum foedus exegit*, ubi Zangemeister pro *cuique* substituit *adque*.

Cf. denique Bened. Reg. 18. 22 *psallantur terni psalmi, a centesimo nono decimo usque centesimum uigesimum septimum, id est psalmi nouem; quique psalmi semper usque dominica per easdem horas itidem repetantur* atque Linderbaver (p. 257) ad hunc locum.

[1] Cf. p. 34 et n. 1.

Tertiam explanationem nobis exhibet SALONIVS (p. 20), qui ex serie sententiarum relatiuarum per *que* iunctarum hunc usum profectum esse putat. Equidem, quamquam haec aliquid momenti attulisse non negauerim, tamen alia potissimum uia ad hanc consuetudinem Latinos peruenisse puto. Nam cum non solum *que* sed etiam *et* pari modo abundanter usitetur, non illae causae satis ualent ad huius usus rationem explicandam. Assentior igitur BAEHRENSIO, qui alio loco, Philol. Suppl. XII (1912) p. 402, *et* particulam abundanter ante enuntiatum relatiuum positam explicatiuam uim habere docet. Qua ratione iam apud scriptores saeculi primi *et* adhibitum esse dicit. In eo autem illi non adstipulor, quod discrimen statuit inter sententias relatiuas, quae per *et* atque quae per *que* adiciuntur. Harum enim eandem atque illarum rationem esse arbitror. Conferenda autem est *et* particula explicatiua ui praedita ante alia quoque enuntiata secundaria posita[1]. Horum igitur locorum proprium duco non pronomen relatiuum pro demonstratiuo usurpatum, sed particulam copulatiuam paulo durius adhibitam. Quod BAEHRENS etiam suspicatus esse uidetur, cum Mnem. 1910 p. 416 exemplum e sermone quottidiano affert: »Ihn schätze ich und wem ich sogar mein ganzes Vertrauen schenken könnte». Quis enim illic *wem* uices pronominis *ihm* sustinere arbitretur?

Neque inter coniunctionem illam nominis et enuntiationis relatiuae, quae apud S. H. A. frequens est (u. p. 142), atque hunc usum particularum multum interest, quod ex exemplis p. 131 prolatis apparet.

---

[1] Cf. etiam *sed* ante enuntiatum relatiuum adhibitum Marc. Ant. 17. 2 (p. 129).

Praue hunc locum illi usui adiudicauit, Tac. Ann. IV. 3 (125. 12) ubi *et* sententias nectit, non membro explicatiuo praemittitur: *Ceterum plena Caesarum domus, iuuenis filius, nepotes adulti moram cupitis adferebant, et quia ui tot simul corripere intutum, dolus interualla scelerum poscebat.*

Iust. II. 2. 9 *et* potest *etiam*, »sogar», ualere, quod ille pro *et quidem* positum accipit. Certe *et* non expellendum esse ei concedo legendumque: *Lanae his* (Scythis) *usus ac uestium ignotus, et quamquam continuis frigoribus urantur; pellibus tamen ferinis ac murinis utuntur.*

CAP. XI.

De diuersis uocibus inter se compositis.

Inconcinnitate sermonis scriptores Latinos nonnumquam usos esse eius modi, ut membra inaequalia inter se responderent, notum est. De hac uarietate orationis ab Ammiano culta copiose atque diligenter agit HAGENDAHL p. 112 sqq., qui multa opera uirorum doctorum de hoc usu scripta enumerat[1]. Idem usus horum scriptorum sermonis proprius est. Mihi uero tantum in animo est ea exempla in medium proferre, quae uoces atque structuras uarii generis inter se copulatas ostendunt. Cum autem ab illis nihil differant ea exempla, in quibus aduersatiua atque disiunctiua particula membra sermonis connectunt, etiam haec simul exscripta uolui.

Nomen terrae et gentis[2]

dissolute iunguntur Aurel. 32. 4 *pacatis oriente[m] Gallis* (u. p. 34). — In serie nominum Trig. tyr. 24. 5 componuntur: *Campaniae Samni, Lucaniae Brittiorum, Apuliae Calabriae, ...* — Cf. Hadr. 5. 2 *Mauri . . . Sarmatae . . . Brittanni . . . Aegyptus . . ., Libya denique ac Palaestina . . .*

Genetiui et ablatiui qualitatis[3]

componuntur in serie dissoluta Trig. tyr. 30. 15: *fuit uultu subaquilo, fusci coloris, oculis supra modum uigentibus nigris,*

---

[1] Conferendi sunt KÜHNER et STEGMANN II p. 24, SCHMALZ p. 679, SJÖGREN (De part. cop. p. 60 sq.). Huic inconcinnitati Tacitum quoque saepissime indulsisse moneo, de qua disputarunt DRAEGER (Über Syntax und Stil des Tacitus p. 92 sqq.) et KVČERA (Über die taciteische Inconcinnität, progr. Olmütz 1882). Alios etiam posteriores eandem uarietatem affectasse ostenderunt uiri docti, ut Suetonium FREVND p. 34 sqq.

[2] Cf. HAGENDAHL p. 130.

[3] Cf. HAGENDAHL p. 114 sq.

spiritus diuini, uenustatis incredibilis. Huc etiam Hadr. 10. 6 referendum est . . . *nec tribunum nisi plena barba faceret aut eius aetatis, quae* . . . Adiectiua, quorum aliqua cum ablatiuis relationis iunguntur, et ablatiuus et genetiuus qualitatis componuntur: Ant. P. 2. 1 *Fuit uir forma conspicuus,* [ingenio][1] *clarus moribus, clemens, nobilis, uultu placidus, ingenio singulari, eloquentiae nitidae, litteraturae praecipuae, sobrius, diligens agri cultor, mitis, largus, alieni abstinens* . . . — Pesc. 6. 5 *Fuit statura prolixa, forma decorus, capillo in uerticem ad gratiam reflexo, uocis canorae* . . . *oris uerecundi et semper rubidi, ceruice adeo nigra, ut* . . ., *cetera corporis parte candidus et magis pinguis* . . . — Aurel. 6. 1 *fuit decorus* [h]*ac gratia uiriliter speciosus, statura procerior; neruis ualidissimis, uini et cibi paulo cupidior, libidinis rarae, seueritatis inmensae, disciplinae singularis, gladii exserendi cupidus.*

Adiectiuum (participium) et genetiuus qualitatis[2].

Hadr. 10. 6 . . . *nulli uitem nisi robusto et bonae famae daret.* — Helius 5. 1 *Fuit hic uitae laetissimae, eruditus in litteris, Hadriano, ut maliuoli locuntur, acceptior forma quam moribus.* — Helius 5. 2 *comptus, decorus, pulchritudinis regiae, oris uenerandi, eloquentiae celsioris, uersu facilis, in re publica etiam non inutilis.* — Verus 10. 8 *lingua impeditior fuit, aleae cupidissimus, uitae semper luxuriosae* (*luxurio* P[1]) *atque in pluribus Nero.* — Auid. 2. 1 (ep.) *Epistulam tuam legi, sollicitam potius* ⟨*quam*⟩ *imperatoriam et non nostri temporis.* — Get. 3. 1 *isque priuatus sed iam optimi in re p. loci.* — Heliog. 9. 3 *homines ad exercendas libidines bene uasatos et maioris peculii.* — Alex. 18. 2 *nisi honestos et bonae famae homines ad salutationem non admisit.* — Trig. tyr. 33. 1 *Vir plane militaris et antiquae in curia dignitatis.* — Claud. 17. 5 (ep.) *calices Aegyptios operisque diuersi decem*; aliis locis. — Cf. Max. Balb. 17. 4 *quae quanta et cuius modi* (*eiusmodi* P[2]B) *sint,* . . . *cognoscere potuimus.*

Componuntur genetiuus qualitatis et participium et enuntiatum relatiuum Trig. tyr. 21. 1: *uir summae sanctitatis et temporibus suis Frugi dictus et qui ex illa Pisonum familia ducere originem diceretur.*

---

[1] Hanc uocem Peter uncis inclusit.

[2] Cf. Hagendahl p. 115.

Adiectiuum (participium) et ablatiuus qualitatis[1].

Ver. 10. 6 *Fuit decorus corpore, uultu geniatus, barba prope barbarice demissa, procerus et fronte in supercilia adductiore uenerabilis.* — Comm. 17. 3 *Fuit forma quidem corporis iusta, uultu insubido, ut ebriosi solent, et sermone incondito, capillo semper fucato et auri ramentis inluminato, adurens comam et barbam timore tonsoris.* — Gall. 14. 2 *et Claudius quidem, . . . uir omnium optimus electus est . . . eaque apud cunctos reuerentia, ut . . .*; aliis locis.

Adiectiuum et genetiuus possessiuus.

Hadr. 19. 10 *Romae instaurauit Pantheum, saepta, basilicam Neptuni, sacras aedes plurimas, forum Augusti, lauacrum Agrippae eaque omnia propriis et ueterum nominibus consecrauit.* Non est, cur in hac compositione uocum *propriis* et *ueterum* offendamus scribentes uel cum Petero *propriis auctorum* uel cum Petschenigio (III p. 348) *propriis et iterum.* Saepe enim *ueteres,* ut Lessing (Lex. p. 725 a) ostendit, substantiui uice apud S. H. A. ponitur. Cf. Alex. 42. 1 *Thermis et suis et ueterum frequenter cum populo usus est.*

Genetiuus possessiuus et adiectiuum et genetiuus qualitatis componuntur Alex. 61. 8 *sed omnis apparatus militaris, qui postea est ductus in Germaniam a Maximino, Alexandri fuit et potentissimus quidem per Armenios et Osdroenos et Parthos et omnis generis hominum.*

Adiectiuum et ablatiuus instrumenti.

Aurel. 26. 3 (ep.) *quasi sola mecum Zenobia et suis uiribus pugnet.*

Adiectiuum et ablatiuus absolutus.

Gall. 3. 6 *quasi securus rerum ac patre iam recepto libidini et uoluptati se dedidit.*

Ablatiuus absolutus et participium coniunctum[2].

Marc. Ant. 28. 4 *sexta die uocatis amicis et ridens res*

[1] Hagendahl p. 115.

[2] Cf. Baehrens Philol. Suppl. XII (1912) p. 434 atque hi loci: Suet. Iul. 33. 1 *pro contione fidem militum flens ac ueste a pectore discissa inuocauit.* — Vesp. 24 *Consulatu suo nono temptatus in Campania motiunculis leuibus protinusque urbe repetita Cutilias ac Reatina rura . . . petit.*

humanas, mortem autem contempnens ad amicos dixit: . . . — Opil. 6. 2 (or.) *Vellemus, p. c., et incolomi Antonino nostro et reuecti cum triumpho uestram clementiam uidere.*

Ablatiuus absolutus et praepositio cum substantiuo iuncta[1].

Hadr. 23. 1 *Peragratis sane omnibus orbis partibus capite nudo et in summis plerumque imbribus atque frigoribus.* — Heliog. 10. 7 *cum . . . nec ullus in conuentu et audiente populo esset pudor.*

Ablatiuus causae et participium.

Get. 1. 5 *paterna cogitatione uel, ut quidam dicunt, a Iulia uxore commonitus . . . etiam Getam, minorem filium, Antoninum uocari iussit.*

Ablatiuus instrumenti et gerundium.

Prob. 18. 2 *per totum paene orbem pedibus et nauigando uagati sunt.*

Ablatiuus modi et aduerbium[2].

Gall. 13. 2 *diuque rexit, non muliebriter (nulliebriter* P[1]) *neque more femineo* (cf. p. 26). — Aurel. 41. 5 (or.) *Recte* (*recta* PB) *atque ordine consuluissent dii immortales.* — Prob. 11. 2 *Recte atque ordine, p. c., proximo superiore anno factum est, ut . . .*.[3]

Adiectiuum et praepositio cum substantiuo iuncta[4].

Alb. 13. 1 *uoce muliebri et prope ad eunuchorum sonum.* — Maximin. 13. 1 *ex quibus* (proeliis) *semper primus uictor reuertit et cum ingentibus spoliis atque captiuis.*

---

[1] Cf. Hagendahl p. 116.

[2] Genetiuus qualitatis et aduerbium componuntur Suet. Cal. 18. 2 *scaenicos ludos et assidue et uarii generis ac multifariam fecit.*

[3] Cf. Klebs Rhein. Mus. 47 (1892) p. 39.

[4] Cf. adiectiuum substantiui uice positum et praepositio cum substantiuo iuncta Tac. Ann. VI. 13 (178. 19) *multaque et plures per dies in theatro licentius efflagitata.* — Itidem Suet. Iul. 20. 2 *Vnus ex eo tempore omnia in re publica et ad arbitrium administrauit.* Cal. 27. 2 *nec dimisit nisi uictorem et post multas preces.* V. Freund p. 35, Hagendahl p. 117.

Cf. etiam adiectiuum et praepositio cum gerundiuo iuncta composita Suet. Tib. 61. 4 *se domi uulnerauerunt certi damnationis et ad uexationem ignominiamque uitandam.*

Adiectiuum (participium) et aduerbium[1].

Hadr. 20. 9 *nomina plurimis sine nomenclatore reddidit, quae semel et congesta simul audiuerat.* — Marc. Ant. 8. 13 *cum Marcus horis omnibus rei publicae actibus incubaret patienterque delicias fratris et prope inuitus ac uolens*[2] *ferret.* — Gall. 21. 1 *de quibus* (tyrannis) *breuiter et pauca dicenda sunt.* Non multum inter haec exempla atque illa, quae protuli p. 124, Alex. 27. 10, Trig. tyr. 24. 2, Prob. 13. 6, interest. — Prob. 24. 4 (Carum,) *uirum bonum quidem sed longe a moribus Probi.*

Praepositio cum substantiuo iuncta et participium.

Hadr. 8. 11 *tertium consulatum . . . non* (in ras. cod. P) *petenti ac sine precatione concessit* (cf. p. 26). — Ant. P. 6. 12 *uisus est sane ab amicis et cum priuatis uestibus et domestica quaedam gerens.* — Get. 6. 3 . . . *ita ut utriusque ordinis uiri et in balneo* (*balneum* PB) *et cenantes et in publico percuterentur*[3].

Praepositio cum substantiuo iuncta et ablatiuus instrumenti.

Heliog. 13. 8 (nutritoribus imperauit,) *ut eum occiderent quo uellent modo, uel in balneis uel ueneno uel ferro.*

Praepositio cum substantiuo iuncta et enuntiatum causale.

Helius 2. 3 *Caesarem uel ab elephanto, qui lingua Maurorum caesai dicitur, in proelio caeso eum, qui primus sic appellatus est, doctissimi uiri et eruditissimi putant dictum, uel quia*

---

[1] Cf. Schmalz p. 679 ann. 4, Sjögren (De part. cop. p. 58 sqq. et Comm. Tull. p. 113), Frevnd, p. 35, et Suet. Oth. 9. 3 *ne uictis quidem adeo adflictis, ut non . . . quiduis discriminis ultro et uel solae subirent.*

[2] Quid hoc sit, *inuitus ac uolens,* ut in codice Palatino teste Dessavo (u. Lessing, Lex. p. 713 b) scriptum exstat, non liquet, quare a nonnullis uariis modis temptatum est. Equidem, quid hoc sit nisi fere *simul et inuitus et uolens,* non uideo. Idem Clossio in mentem uenisse uidetur, qui uertit: ». . . und in Betreff der Ausschweifungen seines Bruders eine Nachsicht äusserte, die nahezu an Gleichgültigkeit zu grenzen schien».

[3] Cf. praepositio cum substantiuo iuncta et ablatiuus temporis composita Suet. Iul. 35. 1 (bellum gessit) *neque loco neque tempore aequo sed hieme anni et intra moenia copiosissimi ac sollertissimi hostis.*

mortua matre sed[1] *uentre caeso sit natus, uel quod . . ., uel quod . . .* — Heliog. 1. 5 *Antonini sibi nomen adsciuerat uel in argumentum generis uel quod id nomen usque adeo carum esse cognouerat gentibus.*

Ablatiuus temporis et enuntiatum conditionale.

Heliog. 4. 3 *in quo* (colle Quirinali) *ante fuerat conuentus matronalis, solemnibus dumtaxat diebus et si umquam aliqua matrona consularis coniugii ornamentis esset donata.*

Substantiuum et enuntiatum temporale.

Gord. 20. 4 *quae omnia postea Gordianus senior in Africa, iam imperator et quando nihil timebat, narrasse perhibetur.*

Substantiuum et enuntiatum interrogatiuum.

Alex. 45. 2 (enumerabantur) *deinde per ordinem mansiones, deinde statiuae, deinde ubi annona esset accipienda.*

Adiectiuum et enuntiatum consecutiuum.

Alb. 13. 1 *Fuit statura procerus, capillo renodi et crispo, fronte lata, candore mirabili et ut plerique putent, quod ex eo nomen acceperit.* Ita traditur, de quo Lessing (Lex. p. 180 b) iudicat »nescio an recte». Peter autem pro *et ut* scripsit *ita ut*, coniecturam Petschenigii (I p. 398) recipiens. Eo hic locus duriusculus est, quod *tali,* quod ante *ut* exspectatur, omissum est. Tamen, cur a tradita scriptura recedamus, non satis est causae[2].

---

[1] Cum inter se opponantur *mortua matre* ac *uentre caeso,* non cum Petero *et* pro *sed* scribendum esse arbitror.

[2] Pari modo uocula demonstratiua ante sententiam consecutiuam omittitur Helius 6. 9 *cui conditionem addidit, ut ipse sibi Marcum et Verum Antoninus adoptaret*; Pesc. 1. 5 *ordines diu duxit multisque ducatibus peruenit, ut exercitus Syriacos iussu Commodi regeret,* ubi cum Novákio (p. 15) *eo* ante *ut* addatur, non necesse uidetur. Eodem modo pronomen audiendum est Carac. 11. 2 *nos tamen ordinem secuti sumus, ut qui et prior natus est et qui prior imperare coeperat, prior scriberetur.*

A Suetonio compari modo participia atque enuntiatum consecutiuum, ante quod *ita* uel *talis* deest, componuntur Claud. 33. 1, *nec temere umquam triclinio abscessit nisi distentus ac madens et ut statim supino ac per somnum hianti pinna in os inderetur.*

Cf. ablatiuus absolutus atque enuntiatum consecutiuum composita Suet. Aug. 65. 3: *neque* (filiam) *adiri a quoquam libero seruoque* (cf. p. 88 n. 2) *nisi se consulto permisit et ita ut certior fieret, qua is aetate, qua statura, quo colore esset.*

Praepositio cum substantiuo iuncta et enuntiatum finale.

Marc. Ant. 11. 8 *leges etiam addidit de uicensima* (*n* in P eras.) *hereditatum, de tutelis libertorum, de bonis maternis . . . utque senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent.* — Comm. 16. 9 *circenses multos addidit ex libidine potius quam religione et ut dominos factionum ditaret*[1]. — Maximin. 29. 7 (ep.) *Ego cum propter adfectum, quem pater filio debet, Maximinum meum* (i. e. filium) *imperatorem appellari permisi, tum etiam, ut populus Romanus et senatus ille antiquus iuraret se numquam pulchriorem imperatorem habuisse.*

Infinitiuus et enuntiatum finale.

His locis nisus etiam hoc loco textum traditum seruari posse confido, Heliog. 20. 3 *uoluit et per singulas urbis regiones praefectos urbi facere et ut essent in urbe quattuordecim.* Posterius *et* delet Peter auctore Casavbono, sed iniuria. De *ut* cum enuntiatione finali post *uelle* adhibito cf. Kühner et Stegmann (I p. 713)[2]. Huic loco etiam alter apud S. H. A. prorsus similis praesidio est, Alex. 48. 3 *uel ipsum, si uellet, ire uel ut secum proficisceretur hortatus est.*

Infinitiuus et coniunctiuus.

Pesc. 10. 1 *Hic tantae fuit seueritatis, ut . . . iusserit omne argentum summoueri de usu expeditionali . . . dicebat enim posse fieri, ut sarcinae militares in potestatem hostium uenirent, nec se barbarae nationes argento nostro gloriosiores facerent.* Sic Peter scribens testimonium uetus intactum reliquit. Etiam Salmasivs (p. 152) textum tenendum censet. Absurde tamen sententiam illam *nec . . . facerent* pro finali accepit atque cum praecedenti iunctam putauit fieri potuisse ratus, ut barbari, postquam

[1] Cf. substantiuum et enuntiatum finale composita Suet. Ner. 16. 1 *formam aedificiorum urbis nouam excogitauit et ut ante insulas ac domos porticus essent.*

[2] De simili uariatione structurarum agit Löfstedt (Arnob. p. 92), qui coniunctiuum et infinituum simul adhibitos post *necesse est* ostendit. — Cf. etiam Lucif. reg. apost. 10 (59. 21 Hartel) *quia dignum sit et eius coronari cultores . . . et* (deus) *uos inimicos eius clementiae . . . ad poenam damnet sempiternam.*

Accusatiuus cum infinitiuo iunctus et participium ex eodem uerbo pendent Suet. Dom. 15 3 *Mineruam . . somniauit excedere sacrario negantemque ultra se tueri eum posse.*

milites argentum summouissent, sarcinis potiti et argentum non inuenientes nihil gloriae adipiscerentur, quasi diceretur: »Licet sarcinae nostrae ueniant in hostium potestatem, non tamen illis dabimus de argento nostro gloriari, cum nihil argentum in sarcinis habuerimus.» Novák uero (p. 16) *ac* pro *nec* substituit. »Nam illud ipsum timendum erat, ne barbari sarcinis Romanorum militum argenteis potiti ad insolitam efferrentur gloriam, non hoc, ne illas quoque contemnerent.» Patet quidem sententiam postremam, quid cauere uoluerit ille dux, indicio esse, atque cur illud praescriptum edixerit. At tamen *nec* uerum esse mihi persuasum habeo. Potius enim mihi illa enuntiatio a *dicebat* pendere uidetur liberius addita, cum *facerent* coniunctiuo optatiuo uel prohibitiuo orationis directae *nec . . . faciant* respondeat. Vertendum igitur est: »und die barbarischen Völker möchten (sollten) sich nicht mit unserem Silbergeschirr ruhmreicher machen.»

Nomen et enuntiatum relatiuum

persaepe componuntur, de qua re, quia hos locos Lessing (Lex. p. 518 b, 519 a) enumerauit, disputare supersedeo. E magno autem aceruo melius haec exempla ille segregasset, in quibus genetiuus qualitatis atque sententia relatiua iunguntur: Ver. 1. 5 *erat enim morum simplic⟨i⟩um et qui adumbrare nihil posset.* — Alex. 29. 6 *erat enim ingentis prudentiae et cui nemo posset inponere et quem si aliquis urbane temptare uoluit, intellectus tulit poenas.*

Praepositio cum substantiuo iuncta et enuntiatum relatiuum

componuntur Maximin. 20. 1: *senatus . . . Maximum ex praefecto urbi et qui plurimas dignitates praecipue gessisset, ignobilem genere sed uirtutibus clarum, ⟨et Clodium Balbinum⟩ . . . imperatores creauit.* Cotta (p. 23) *ex praefecto* pro *praefecti munere functus*, »ehemaliger Präfekt» accipit aliis exemplis huius usus praepositionis *ex* prolatis. Equidem potius *ex praefecto* e uerbo *creandi* pendere puto, ita ut *ex* transitionem ex illa dignitate in fortunam imperatoriam significet. Nam, ut ex Max. Balb. 5. 10 sq. apparet, ille praefecturam et imperium continuauit. Imperator igitur, cum adhuc praefectus urbi esset, creatus est. Confertur in Thes. IV. 1165. 38 cum hoc loco Liu. XXXI. 4. 7 *Q.*

Minucio Rufo, qui ex aedilitate praetor creatus erat[1]. Verto igitur: »wählte der Senat zu Kaisern Maximus aus Stadtpräfekt, (und) der mehrere Ehrenstellen in einer vorzüglichen Weise bekleidet hatte, . . . sowie Clodius Balbinus.» Hoc igitur pacto adhibitum *et* non multum abest quin abundet pari ratione atque in eis exemplis, de quibus egi p. 129 sqq.

Singularis et pluralis[2]

componuntur, ubi duo pluralia exspectantur, Claud. 11. 6 (milites) *occupati animo atque corporibus auertendis prae[*si*]di[*i*]s inseruiunt.*

In comparationem illa consuetudo sermonis, qua fit, ut singularis numerus pro plurali usurpetur de rebus duabus aut pluribus, uocanda est[3]. Max. Balb. 11. 2 *caputque eius et filii perlatum est Rauennam, quod a Maximo Romam transmissum est.* — Ver. 1. 1 *Scio plerosque ita uitam Marci ac Veri litteris atque historiae dedicasse, ut . . .* Comparia sunt haec exempla: Aurel. 1. 2 *sermonem multum . . . instituit et in eo praecipue de uita principum.* — Prob. 2. 7 (omnes disertissimos imitari uiros) *in uita principum et temporibus disserendis.* Maximin. 26. 7, Quatt. tyr. 6. 3, Carus 18. 5.

Deinde hunc locum uelim attendas, ubi adiectiuum pluralis numeri duobus substantiuis praecedit, quorum prius singularis numeri est: Gord. 10. 5 . . . *ut Vitalianus quidam . . . per audacissimos quaestorem et milites iussu senatus occideretur.* Hoc Peter coniecit, cum traditum sit *audacissimas.* Aem. Baehrens (Neue Jahrbücher 103 (1871) p. 657) uerba transponenda, *per quaestorem et audacissimos milites,* censuit, nescio an inutiliter.

---

[1] Pari modo praepositio illa posita est Hadr. 8. 7: *senatus fastigium in tantum extulit difficile faciens senatores, ut, cum Attianum ex praefecto praetorii ornamentis consularibus praeditum faceret senatorem, nihil se amplius habere, quod in eum conferri posset, ostenderit.* Idem enim Attianus, quo tempore gratiam Hadriani amiserat, cum iam senatoriam dignitatem eum adeptum esse patet, etiam tum praefectus dicitur: Hadr. 9. 3 sq. *Cum Attiani, praefecti sui et quondam tutoris, potentiam ferre non posset, nisus est eum obtruncare . . . cui cum successorem dare non posset, quia non petebat, id egit, ut peteret, atque, ubi primum petit, in Turbonem transtulit potestatem.*

[2] Cf. Hagendahl p 113 sq.

[3] Cf. Kühner et Stegmann I p. 45, Baehrens in Glottae uol. IV p. 271 sqq.

Interdum uarietas quaedam particularum *et que atque* cernitur, quae eius modi est, ut, cum duo membra iunguntur, quorum utrumque e duabus uocibus inter se compositis constat, in utroque membro diuersa particula adhibeatur. Quae consuetudo ex his exemplis perspicitur: Ant. P. 11. 2 *piscando se et uenando multum oblectauit et deambulatione cum amicis atque sermone.* — Seuer. 3. 7 *post hoc Athenas petit studiorum sacrorumque causa et operum ac uetustatum.* — Aurel. 31. 7 *quod* (templum Solis) *apud Palmyram aquiliferi legionis tertiae cum uexilliferis et draconario et cornicinibus atque liticinibus diripuerunt.* — Cf. Carus 18. 3 *post quos Diocletianum et Maximianum principes dii dederunt, iungentes talibus uiris Galerium atque Constantium.*

Tertium membrum intermittitur Gall. 3. 7: *ludos circenses ludosque scaenicos, ludos gymnicos, ludiariam etiam uenationem et ludos gladiatorios dedit*, praemittitur autem Prob. 12. 7 (or.): *Iuppiter optime maxime, Iuno regina tuque uirtutum praesul Minerua, tu orbis Concordia et tu Romana Victoria, date hoc senatui populoque Romano.*

Prius membrum in quattuor partes diuiditur: Ant. P. 10. 9 *Edita munera, in quibus elephantos et corocottas et tigrides et rhinocerotes, crocodillos etiam atque hippopotamos et omnia ex toto orbe terrarum exhibuit.*

Index locorum.

S. H. A.

Hadr.	4. 2	p. 38
	12. 4	46
	13. 5	76 n.
	17. 12	32
	19. 10	137
	20. 7	113
	24. 1	63
Helius	2. 3	140 n. 1
Ant. P.	4. 9	33
	7. 11	124
Marc. Ant.	4. 3	65
	7. 1	114 sq.
	25. 6	130 sq.
	27. 4	73 n.
Ver.	2. 5	53
	8. 3	63
Auid.	3. 7	42 n. 2.
	6. 7	107
	13. 10	20
Comm.	14. 1	96
	17. 7	121
Pert.	1. 2	45
	2. 9	81
Did. Iul.	3. 5	43
	5. 3	72
	5. 9	51
Seuer.	4. 3	75
	21. 2	38
	21. 8	109
	22. 5	25
Pesc.	1. 5	140 n. 2.
	2. 4	78
	3. 7	72
	5. 5	120
	10. 1	141 sq.
Pesc.	11. 5	p. 54
	12. 1	53
Alb.	3. 2	119 n.
	5. 8	74
	10. 8	95 sq.
	13. 1	140
Carac.	8. 2	52
	11. 2	110
Get.	2. 2	129 sq.
	5. 1	108
Opil.	3. 5	111 sq.
	3. 6	7
Diad.	2. 8	95
	3. 4	119 n.
	5. 6	70
	7. 4	57 n., 125
Heliog.	6. 8	132
	8. 3	55
	9. 1	74
	15. 3	104
	16. 1	2 n.
	20. 3	141
	24. 6	45
	26. 3	7
	26. 5	37 n.
Alex.	2. 4	114
	3. 4	37 n. 1.
	3. 5	46
	9. 5	24, 32 sq.
	10. 3	69
	14. 5	117
	16. 2	45
	17. 4	4 et n. 1
	18. 2	83
	26. 3	31 sq.
	31. 1	36
	33. 3	40
Alex.	33. 3	p. 105
	33. 4	117 sq.
	41. 2	78 sq.
	41. 3	54
	41. 5	111
	45. 3	121
	55. 2	51
	61. 6	72
	64. 1	44
	66. 1	69
	66. 2	43
Maximin.	3. 1	82 n. 1
	3. 6	50
	4. 6	75 sq.
	4. 9	65
	6. 3	108
	9. 7	72
	12. 6	90
	13. 1	50
	15. 4	36
	17. 3	94
	21. 4	64
	24. 2	125 sq.
	27. 1	80
	33. 5	14
Gord.	3. 2	10
	4. 6	55
	10. 5	143
	12. 3	80
	14. 4	132
	17. 1	82 n., 119 n. 1
	21. 4	104
	29. 1	75
	30. 8	52 n.
Max. Balb.	2. 3	51
	5. 1	41
	5. 6	34

Max. Balb. 5. 7 p. 66 n. 1
7. 4 113 sq.
9. 3 73, 97 sq.
Gall. 4. 1 73
10. 8 64
12. 4 73
12. 6 81 sq.
17. 3 88
19. 7 98 et n. 1
Trig. tyr. 8. 1 53
9. 3 40
9. 7 107
9. 8 34
18. 11 42 n. 2.
20. 1 69
22. 7 68
24. 2 119 sq, 124
26. 2 73
30. 2 121
31. 5 27
Aurel. 1. 4 12 n. 2
1. 9 93
3. 3 76 n.
6. 1 15 et n. 3, 42
8. 2 76
12. 2 34
24. 5 70
26. 3 65
26. 6 25 et n.
26. 8 77 sq
32. 4 34
35. 1 96
39. 5 33
41. 2 105
42. 4 2 n.
Tac. 4. 4 71 n. 1
6. 2 28
6. 8 50
11. 4 55 n.
16. 6 35
Prob. 2. 6 p. 114
10. 1 46
22. 1 43 sq.
Quatt. tyr. 1. 1 115 sq.
1. 1 38
1. 3 66
8. 7 106
8. 10 42
10. 4 98
Carus 3. 6 104
5. 4 43
6. 2 87
13. 5 116 n. 1
16. 2 55
20. 4 124 sq.

Tacitus.

Ann. I. 65 120 n. 2
VI. 37 79 n. 2
XI. 14 64 n. 1
30 66 n. 2
33 40 n.
XII. 3 79 n. 2
41 88 n. 2
XV. 41 133 n.
Hist. I. 80 120 n. 2
II. 2 120 n. 2
IV. 53 120 n. 2
54 120 n. 2
84 133 n.
Dial. 21 89 n.
Germ. 27 79 n. 2

Suetonius.

Aug. 65. 3 88 n. 2
Tib. 17. 1 50 n. 3
Cal. 7 74 n.
56. 1 89 n.
Claud. 13. 1 p. 68 n.
45 47 n.
Dom. 2. 3 47 n.
12. 1 88 n. 2
Oth. 8. 1 47 n.
Vit. 15. 2 148

Paneg.

I. 23. 6 126 n.
39. 1 48 n.
44. 8 88 n. 2
45. 2 87 n. 2
61. 6 120 n. 2
63. 4 41 n.
76. 9 48 n.
II. 5. 4 92 n. 2
15. 1 49 n.
39. 4 49 n.
42. 3 49 n.
III. 14. 2 48 n.
18. 6 49 n.
24. 6 49 n.
IV. 13. 1 48 n.
17. 3 48 n.
V. 6. 5 49 n.
7. 4 49 n.
VI. 22. 6 41 n.
VII. 14. 3 126 n.
IX. 7. 3 95 n. 1
15. 5 49 n.
17. 3 48 n.
XII. 11. 1 126 n.
11. 2 49 n.
21. 3 120 n. 2

Orosius.

Hist. V. 15. 6 133 n.
VII. 33. 3 17 n. 1

Index rerum et uerborum.

Alius e contextu auditur ..... p. 2 n. 2., 54.
Allitteratio ..... 23, aliis locis.
bellum = *proelium* ..... 50 n. 2.
Constructio secundum analogiam ..... 82 n. 1.
Ellipsis ..... 65, 119 n. 1.
Errores in codice Palatino admissi:
Dittographia ..... 95 n. 2.
Haplographia ..... 120 n. 1.
Particula copulatiua prauo loco collocata ..... 104 n.
t littera formis coniunctiui in hanc litteram exeuntibus detracta 109 n. 1.
t littera praue infinitiuis addita ..... 81 n. 1.
et = sogar ..... 96 et n. 2, 100, 106, 108.
Gradus comparationis diuersi inter se compositi ..... 19 sq.
gratulatio = *gaudium* ..... 24 n.
Indicatiuus in sententiis consecutiuis positus ..... 124 n. 3.
magnus insolito sensu adhibitum ..... 118.
ne = *ne quidem* ..... 77 n. 1.
ne = *non* ..... 76.
ne post uerbum timendi omissum ..... p. 2. n. 2.
Praepositio ex alio membro animo suppletur ..... 36 sq., 112
purpurea = *purpureae uestes* aliaque adiectiua eodem modo usurpata... 117
quis contra morem optimorum scriptorum adhibitum 54
Res saepius narratae ..... 81 et n. 2.
suus insolito modo positum ..... 130 sq.
Varietas temporum ..... 115 et n. 1.
uelle nullo fere sensu adhibitum 106
Vocula demonstratiua ante sententiam consecutiuam omissa ..... 140 et n. 2.

Corrigenda et addenda.

P. 12 n. 1	legendum est:	cf. p. 40.
» 20 u. 9	»	(*et* Peter)
» 47 n. u. 17	»	Suetonius aliquotiens
» 47 n. u. 39	»	hoc asyndeton
» 54 u. 20 sq.	»	anim-aduertas
» 80 u. 28	»	Cf. p. 67 n.
» 82 n. u. 24	»	*qui post hoc*
» 86 n. u. 4	»	Beiträge

P. 10 u. 16 pro »dissolute» melius alio uocabulo usus essem, cum Heliog. 19. 7 partes, quae post genus sunt collocatae, pro appositione additae sint.

P. 62 n. addi potest Thörnell (Erani uol XVI p. 106).

P. 66 n. 2 accedit ad exempla Suetoniana a me prolata hic locus, ubi cum Ihmio testimonium uetus retinere uolo contra Thomasivm (Mnem. 1921 p. 47) *at* pro *atque* scribentem: Vit. 15. 2 *urgenti deinde terra marique hosti hinc fratrem cum classe ac tironibus et gladiatorum manu opposuit, hinc Betriacenses copias et duces; atque ubique aut superatus aut proditus salutem sibi et milies sestertium a Flauio Sabino Vespasiani fratre pepigit.*